








JOANNIS VALENTINI ANDREÆ

MEMORIALIA,

BENEVOLENTIUM

HONORI, AMORI ET CONdolentiæ data.



ARGENTORATI,

Sumptibus hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XIX.

CONTENTA HOC LIBRO MEMORIALI.

Can-

Candido Lectori.

EXorandus mihi es, benigne Lector, ut affectui meo in his *Memorialibus* aliquid condones. Non enim nescio, vel amore, vel dolore fuisse occupatum, cùm hæc scriberem: nec ita ferreus sum, ut in beneficos meos nihil propendeam, aut publicam cladem immotus intuear: quod tamen facilè facit, qui hos meos, & hæc mea non novit. Ausim tamen profiteri, veritati nullam injuriam factam, & testes multos promittere. Quo aliorum verò usu lucem videant, nō liquet: ego certè meorum benevolorum cum

voluptate recordor, & Divinam protectionem in geminato illo periculo gratus agnoſco. Si tamen id unum etiam impetrem, ut mortis te admoneam, & ad vitam componam, ſatis his exiguis pagellis effectum eſto.

Vale, bonorum memor.

EBER-

EBERHARDI A GEMMINGEN

in Rappenauu & Buttenhauſen, &c.

Vera Nobilitas.

M DC XIX.

NOBILISSIMO JUVENI DOMINO PHILIPPO à GEMMINGEN in Rappenauu, & Buttenhausen, &c.

S. P. C.

NEscio, an unquam mihi jucundius fuerit, Nobilissime Philippe, quàm cùm in contubernio Viri nunquam satis laudati, D. Matthiæ Hafenrefferi, &c. Præceptoris nostri unâ viximus. Inde cùm corpore divideremur, animum tibi servavi insolubilem. Morũ namque tuorum pietas & suavitas non sinunt tui oblivisci, quibus cùm eruditio, & rerum usus accesserint, optimum Patrem facilè referes: Cujus tibi imaginem quondam à me expres-

sam

ſam, nunc mitto, gratitudinis meæ in patrem, affectus in te mei perpetui teſtem. Nihil hîc fucatum eſt; omnia, quæ tuæ familiæ hæreditaria virtus eſt, ingenua & aperta. Deum precor, ut ad optima quæq; hoc exemplo pergas, & Majorum laudabilem famam poſſideas & continues. Vale, optime Philippe, & ſalve. Vaihingæ. 1. Jan. 1619.

A tuo

ſemper fideli,

Joh. Valentino Andreæ.

CUM tanta ſit Virtutis inter mortales commoditas, ut, vel inſciis nobis ac non animadvertentibus, tota ei Reipublicæ moles innitatur, imò haud rarò unius tantùm aut alterius viri boni humeris incumbat, meritò ſanè exclamamus: *Eheu, quàm dolendum eſt, cùm Reſpublica ſit æterna, non eſſe æternos eos, qui eam optimè adminiſtrant!*

Ea enim eſt infelicitas noſtra, ut non tantùm immortales habere eos haud poſſimus, qui ſunt ſalutis publicæ curatores firmatoresque; ſed etiam, dum poſſidemus, adeò non agnoſcamus, ut nec, quo modo illi tantum onus ſuſtinuerint, annotemus; nec illam, quam inſtituerũt, formam, ſartam ſervemus: inde avocatis illis, tanquam oculis orbati, ſtatim oberremus, inque turbarum, immutationum, innovationumq; foveas corruamus.

Inde

Inde Pomparum frequens eſt inter nos, nuptiarum, ſolennitatum, annotatio, ſtructurarum, præliorum immortalis memoria; acuminis, ingenij, artiumque fama perennis: Virtutis veræ, *Simplicis & Recti* (quibus tamen, quicquid ubique terris ſupereſt boni, debemus) commendatio nulla, neque etiam in literis ipſis, quibus commiſſum id propriè eſt, permagnum ſubſidium; ſed opes potiùs, tituli, ingeniorumque luxuries è ſuggeſtis perſtrepunt, artes, quibus indomitum vulgus cohibetur, ſed inprimis tam efferus & diffluens hominis animus cicuratur, rarò exaudiuntur, potiùs, qui tam inviſo muneri fruſtra aliquandiu deſudarunt, manumiſſione à DEO petitâ impetratâque, è terris ſimul & memoriâ noſtrâ evolant.

Ita inter nos hactenus, verùm non ſatis diu, vixit Virtutis quondam, literarum, Nobilitatis ſolidæ, & familiæ ſuæ ſplendidiſſimæ decus, *Eberhardus à Gemmingen in Rappenau & Buttenhauſen, &c.* qui, quòd in ſublimi ex-

cellentique ingenio, rerum infinitarum scientiâ experientiâque, Fortunæ applausu, possessionũ abundantiâ, gloriæ ubique, Famæ & memoriæ uberrimâ materiâ nihil, nisi in patriam civis optimi, in familiam & subditos Patris optimi, in bonos omnes patroni optimi titulum affectaret, obtineretq; abundantissimè; ita nunc (posteaquam à Deo receptus est) abiisse videatur, ut nec à literis, quibus tamen vitam omnem; nec à literatis, quibus affectum omnem; nec à Virtute, cui exercitium omne; nec à bonis, quibus labores omnes; nec à Religione, cui ardorem omnem tribuit, satis pro meritis amplam gratiam, memoriámve impetrasse; sed in lugentium tantùm desiderantiumque pectoribus atque suspiriis delitescere videatur

Atqui in tam exiguo ævi nostri bonorum numero, si quis terris nostris miserrimis contingeret, acclamandum cunctis; si quis eriperetur, ejulandum cunctis foret, tantaque sagacitate vestigia eorum, qui rectè ambularunt, indagan-

daganda, ut quâ illi viâ tantum, totiesque profuerunt, eadem continuaretur, neque ad pomposas, sumptuosas, monstrosas, vanas atque tyrannicas aliorum semitas dilaberemur; sed retentâ semper commoditatis felicitatisque è *simplici, recto, bonoq;* redundantis recenti memoriâ, ad præcepta horum tam servanda, quàm creberrimè describenda, renovandaque, tam præcursorum gloriâ, quàm insequentium cõmodo, incitar mur. Talem utinam impetraret descriptorem, encomiastémve ille noster Rectæ viæ eximius quondam viator *Eberhardus*, vitaque eius sancta potiùs & utilis, quàm speciosa, ab eloquenti aliqua linguâ Posteritati ostentaretur; haberemus equidem si non Aulici splendoris, Bellici roboris, Literariæ Famæ, sumptuosæ vitæ, certè optimi Viri, optimi mariti, optimi patris, optimi heri, optimi Magistratus, optimi Patroni modò non perfectum exemplar, & in uno homine *Nobilitatis* multiplicis, solidæque excellentiæ variç imaginem intueremur,

Et tale quidem vitæ fructiferæ ſpeculum ab aliquo tanti, quibus ille favit, eruditiſſimorum numeri, exſpectabimus, ſperabimus, optabimus, efflagitabimus: ego verò poſteaquam propitio DEO tanti viri notitiâ, favore, familiaritateque, quantumvis heu exiguo uti tempore licuit, etſi ab omni ea ope, quæ ad laudandos laudabiles neceſſaria eſt, egenus, ita tamen & lacrimarum & devoti affectus, & acceptorum beneficiorum memoriâ, & jucundiſſimæ converſationis recordatione, & tantæ Virtutis admiratione, & in prolem eius relictam, promptitudine ſum plenus, ut quin in filium *Philippū*, feliciſſimum paterni vultus & ingenij æmulum, vosque quicunque hæc legetis bonos, cuncta hæc effunderem, temperare mihi non potuerim, paratus, quodcunque potiùs nomen ſubire, quàm non id omne, quod à balbutie mea, ſteriliqúe ingenio impetravero, in reducendum, proferendumque laudabilis vitæ curriculum, redimendum ab oblivione exquiſitius *Nobili-*

tatis

tatis ſpecimen, exhibendum filio Paternum, domeſticumque virtutis exemplum; omnibus veram vitam, hominisque in terris officium commendandum, inſumam; quod ut poſſim, Deum mihi faventem ex animo precor.

In *Eberhardi* itaque *à Gemmingen* Nobili Vitâ Fortunámne primùm mirer, an Fortunæ meritum, non habeo: adeò inter ſeſe certarunt, illa exoptata quæque atq; optima conferendo, ipſe quærendo & laudabili inveſtigatione promerendo. ſed omninò prior illa fuit, id eſt, Dei manifeſtus favor, ac propemodum peculiaris, quo *Gemmingenſium familiam*, centenis aliquot ab hinc annis complexus eſt, clariſſimè, quemque ad hoc usq; noſtrum ævum, per tot avos ac parentes continuavit benigniſſimè; multa inibi antiquæ fortitudinis, germanæ integritatis, Nobilis Conſtantiæ, opum cumulatiſſimarum, honorum ſupremorum, dignitatum ſublimium ac electoralium, ſtructurarum ſplendidiſſimarum ſpecimi-

na, atque exempla; sed nescio quo *Gemmingensis Domus* arcano, liberalitatis, devotionis, parsimoniæ, candoris, humanitatis, favoris erga bonos, amoris erga subjectos, facilitatis erga singulos, *rectitudinis simplicitatisq;* columbinæ intra sese plura, videre licet, quæ ita sese in hunc usque diem in ramos surculosq; propagarunt, ut si quo aliorsum, aliis Majorum imaginibus uti libet, hi de his prog nitorum suorum moribus gloriari & possint cõfidenter, & velint libenter.

Hac stirpe feliciore ortus, sed parentibus longè felicioribus prognatus, in clarâ Evangelij Luce, claroque lucis hospitio, Wirtembergiâ, Lucem primã *Burgii* aspicit, [*1567.16.Iul.*] *Avi Eberhardi*, imò bonorũ omniũ exulantiũ sede. Is & bellicarum artium, fortitudinisque, & ad famosissima quæque ascendendi occasionum hæres, ubi primùm domesticæ frugalitatis, officij boni patrisfamiliâs vias apprehendit; ita eas posthac tenuit mordicus: ut sicut unicæ vitæ tranquillæ commodæ, expeditæ,

beatæ media reperit; ita & posthac cum thesauris nullis, spendoreq; commutavit, & auri, honoris, quietis, famæ, salutis tandem æternæ perpetuùm fertiles habuit.

Illud domesticum quasi Regnum, & minutæ Reipublicæ excellens administratio pacem peperit, jucunditatem, celebremque illam, quæ in hominum oris etiam nunc versatur, *Concordiam.* non subditi tantùm quiescere, augeri, de Magistratus tutelâ, auxilio, consilio, institutione, exemplo gaudere & gratulari sibi; non servi tantùm, servæ, ministri officium facere, & pacificamReligiosamque familiam constituere; Sed ipsa capita, pater inquam, & tres annis maturi, imò numerosæ prolis patres, Filij, ita inter se convenire, & in virtutis pace, ac *Gemmingēsium proprio, simplici & recto*, conspirare, ad eam conjuges sibi deligere, in ea pusillum gregem innutrire, educare, & omninò assuefacere. Non visa ibi vita soluta, lingua blasphema, venter distentus, aut luxurians; Non equorum insana exa-

gita-

gitatio,non rusticæ gentis contemptus, non ferarum in sylvis furiosa persecutio,non hominum immitis abusus, nō ferculorum numerus, non vestimentorum monstra, non Gallici aut Italici mores, non otium curiosum: sed, ut uno verbo dicam,ubique Mediocritas, vitæ ratio recta, id est, nec ad excessum nec defectum declinans, condita pace, promota incremento, ornata famâ: sed supra cuncta adjuta Dei assistentiâ.

Permagna equidem virtus in Patre & Filiis omnibus; sed ut interdum in multis elegantissimis formis sua cuiq; peculiaris ac excellens pulchritudo, singularumq́; quasi victoria, ita quem nunc propiùs intuemur, *Reinhardus* ex fratribus medius unicè placet, fusiùsque collaudandus videtur. Is à patris beato abitu optimarum omnium, sed inprimis Gemmingensium virtutum, morumq́ue hæreditate,insuper ex Dei favore, Virtutum *Helenæ à Massebach*, nobilissimæ conjugis, harmoniâ opulentissimus,felix,benedictus, jam qua non ipse tantùm,sed & per Filios,ratio-

ne Rei-

ne Reipublicæ quàm maximè prodesſet, ſollicitus, cùm utriusque virtutis, togatæ armatæque exempla abundarét, hîc *Ioannis* primùm pauperis, poſtea Audacis dicti, fortitudo; ibi *Georgij*, Spirenſium Præpoſiti, è literis famâ; hîc *Theobaldi* Palæſtino & Turcico itinere celebris admiratio; ibi *Vrielis*, Moguntinenſium Archiepiſcopi, gloria, aliorumq́ue ex Majoribus è diverſis ſtudiis diverſus inter homines favor, provocarent; inclinavit ad literas, ut, quod in aliis hactenus admiratus fuiſſet, foviſſet, quo ipſe cum dolore careret, in filiis intueretur, tantaque virtutum gentilitiarum propriis in ædibus acceſſione, ornamento tanto gauderet.

Succeſſit electio: vota ſunt à Deo ampliùs, quàm voverat, audita. Illa, quam ſuxerunt prima lacte, quam exaudiverunt primis verbis, ad quam formati primâ tenellâq; infantiâ, cui poſtea fideli paternaque explicatione conciliati ſunt, quamque tandem in ſanguinem quaſi ſuccumque converterunt,

runt, virtus, altiùs aliquid protulit, & gloriosius aliquid nobis reliquit. Nam sub Paternæ severitatis ac curæ, Maternarum precum, familiæ spei ac votorum viatico in scholas emissi, ac optimo cuique Præceptorum traditi, respondere æquum erat tantis ad studia cōmoditatibus, effugere impedimenta faciliùs. Quæ enim in nostrâ ævi nostri juventute Nobili profectus impedire, imò tollere penitus solent, ea aberant cuncta, corporis tenella educatio, vestitus mollities, parentum indulgentia, Præceptorum abjectus metus, correctionum parcitas, honoris immaturitas, Nobilitatis præpostera prærogativa, in eligendis bonis Informatoribus stupor, honorandis remunerandisque oblivio, opis ad correctionem ferendæ cunctatio, atque uno verbo *Seminum Virtutis* in minutulam etiam ætatem spargendorum vel ignorantia vel neglectus: cuncta, inquam, hæc aberant, & parentum vigilantiâ, prudentiâque è virtutis semitâ amovebantur. Ita excrescunt ingenui Fratres, eorumque

maxi-

maximus natu *Eberhardus* noster, non amicorum vota, præceptorum volũtatem tantùm ſuperat; ſed & ſeipſum, id eſt, cum memoria ſua, quæ minùs tanto ſciendi deſiderio, tanto diſcendi conamini ſuccurrere videbatur, adeò conflictatur fervidè, ut, qui diligentiâ eſſet primus, ingenioſiſſimorum quoque profectibus par redderetur atque proximus. Jaciuntur ita literarij ædificij fundamenta, potiùs rudimenta, exercetur memoria, acuitur judicium ſed inprimis *Boni viri* præludia fiunt, eius ſcilicet, qui virtutis viam recto tramite aliquando ſit calcaturus.

Hæc *Neoſtadio ad Cocheram*, usque dum devoratis linguarum initiis, artiumque primordiis moleſtioribus, dignus eſt viſus, qui vitam Academicam jucundiorem ingrederetur. *Tubinga* prima omnium excipit, illa Religionis ſinceritate, eruditiſſimorum copiâ, ac optimarum rerum exercitio meritò celebris. Sed non illuc miſſus eſt, ut haberet, qui ſumptus prodigiosè prodigeret, qui leges nullas agnoſceret,

ret, qui de die pſittacum, noctè mugientem bovem, vel canem latrantem repræſentaret, qui majorum virtute, & benè partis opibus ad ſcelus quodvis, ad ineptiam quamcunque abuteretur, quíve Academiam non eruditionis probitatiſque, ſed amorum, luſuum, compotationum, luxus, conflictuum & diſcurſationum palæſtram vellet: alia Pater mercari jubet, alia concupiſcit Filius, alia exponit Academia; nempe doctiſſimorum quorumque converſationem, librorum exquiſitiſſimorum delectum, inventionum ingenioſiſſimarum copiam, exercitiorum utiliſſimorum occaſionem, familiaritatis jucundiſſimæ commoditatem, variorum ingeniorum examen & experientiam, aliaq́; elegantiſſima infinita, quæ vitam & formare poſſent decenter, & ornare eleganter, & delectare convenienter, ſumptusque quoscunque debitos refundere largiter.

Sed imbecillior juventus eſt, nec in tanto perverſorum numero ſatis firma. Itaque parentes haud ſunt ſecuri, aut hanc

hanc habent post reliquas omnes, curam. Ille severitate, quam Filius scit omnis excessus impatientem, quam scit nunquam tentandam; illa lacrimis & precibus, quas Filius sibi scit, prout egerit, aut perutiles aut maledicas, quicquid ubique à juvenili, errore, mobilitateque exurgit, declinant, evellunt, extinguunt. Nec hoc acquiescunt, optant sibi adjumenta ab Hospitio honesto, & seductionibus immuni. Id contigit à Præceptore annis maturo, vitâ integro, verace, liberali, gravi, sedato, erudito, casto, dexterrimo ac experiente; & is (quæ rara fortuna est) *Andreas Bajerus* cõtigit: [*1587.26.Martij*] quibus vita omnis Eberhardi nostri, ita per quosvis humanæ infirmitatis sentes æqualiter, inviolataq; deducta est, ne quid unquam, cujus pœnitere potuerit prævavaluerit.

Sub hac morum custodiâ, studiorum ad Juris usq; cognitionem incrementis, annis jam & judicio maturior, alias quoque Germaniæ literarias delicias coram intueri, alloqui & morũ amœnitate,

nitate, diſcendi ardore, ſibi conciliare geſtit. Itaque Tubingenſi Academiæ vale dicto, non peregrinos mores, aut exteras geſticulationes, non ſervitutis humanæ præceptiunculas, non licentiæ juvenilis incitamenta, & incredibilia humanæ malitiæ, inſidiarum, miſeriæ, laborumque ſpecimina, non voluptatum illecebras, per omnes Europæ aut Aſiæ angulos diſquirere, ſed Germanam libertatem, integritatem, candorem, *ſimplicitatem & rectitudinem* in ipſo Germaniæ meditullio intueri geſtit. Id ei *Marpurgum* præſtitit, literis nobile, eruditis celebre, nationum concurſu inſigne; ſed Ægidij inprimis Hunnij Theologiæ nuper luminis cõvictu, ac amicitiâ, Vulteji & Sixtini lectionibus, Treutleri præſidio, ei honorificum ac perutile: Id *Argentina* vel nominis & tantâ literarum famâ decora ei & inſignis Reipublicæ formâ, & eruditiſſimorum copiâ, & rerum variarum inſpectione, & Graſecciano privato collegio fructuoſa. Id *Ingolſtadium* itidem ſcientiâ, ſtudioſorum numero

mero, ingeniorum certamine plenum, & ne ea gloria locis tantūmodo diversis, aut procul remotis sola sit, quisquis bonus, quisquis doctus, quisquis simplex, apertus & candidus fuit, id præstitit & ampliùs, quàm tot aliis mille urbes, sylvæ, montes, vall s, hiatus, flumina, maria, solitudines, novæ & antiquæ terræ ad eum, quem unicè respexit, *recti simplicisq;* scopum aliquid contulit.

Felix nimirum est *Eberhardus*, cui exotica mala magno emere non licuit, forsan nec lubitum fuit, cujus Academica vita inter celeberrimorum quorumque conversationem, amorem, excitationem, commendationem, non pseudo-studiosorum tumultus peracta: cuius mores & studia optimus Magister direxit; cujus juventus optimum & decrepitæ etiam senectuti sufficiens subsidiū collegit; cujus precibus Deo, studiis præceptoribus, obsequio reipublicæ, instituto Academiis, conversatione familiaribus, moribus amicis omnibus est abundè satisfactum: deniq;

qui

qui ita tandem à præceptoribus ac amicis omnibus discessit, ut nec hos adhibitorum officiorum pœnituerit, nec acceptorum beneficiorum oblitus unquam ipse fuerit.

Ergò jam literarum satis? nequaquam, ut qui eas vitæ comites perpetuas, consiliorum magistras, rationis directrices conduxerat; verùm illius temporis, quod Academicæ vitæ dare Pater decreverat, satis: jam seniles humeri defatigari, jam viriles in filio oneri pares vidétur, ac quæ in subditorum commoda redundarent, dotes maturæ. Eligitur uxor, quam non genus, non forma, non opes, non morum elegantia, quantumvis in eâ abundantissima, sed (defuncti verbis utar) matura ætas, simplex vestitus, ad labores promptitudo, manus duriusculæ, & verborum candor Patri conciliarant, ut pietatis esset, laudabilis œconomiæ, amoris erga subjectos, benignitatis, liberalitatisq; erga singulos, & *antiqui Gentilitijque recti* Filio socia. Ita Parentum voluntate fit Nobile illud, &, quod eventus famaque

aque probavit, felix concorsq; *Eber-rdi & Annæ Catharinæ à Rotenstein* onnubium, simulque duorum pectorum, animorum, voluntatum, virtumque vinculum insolubile. [*Nuptiæ unt Dreschelingæ 1594. 26. Augusti.*]

Itaque hic ordiemur *Eberhardi* vim, quam non nisi virtutum exercio, ac in suos commodis metimur, & uod ante fuit, optimis parentibus ac ui hucusque eum, ex bonorum omnium voto, deduxerat, divino favori atum referimus: insuper quod in litaria hactenus vitâ promoverunt surriores, admirati sunt inferiores, amant æquales, honorarũt simul omnes, ipso quoque vitæ veræ præparaenta duxit, & huc unicè retulit, ut onum eum efficerent, id est, & œconmiæ sacræ & politiæ christianæ idoeum.

Primum ergo erat, conjugem, quam prema Dei indulgentiâ nactus fuisit piam, castam, placidam, prudentem, optatissimam, diligeret unicè, honoret sincerè, ei se concrederet securis-

ſimè: inde tantam animorum & voluntatis conjunctionem, in Dei cultum,& ſubjectorum commodum conferret:lites, contēptus, & privata arcana paradoxa hic erant, non ille contra conjugem tumultuari; non illa marito imponere, non ille culinam regere, nō illa Muſeum ingredi, non ille fila ducere, non illa jus dicere, non ille domus minutias omnes exigere, non illa Reipub. ſecreta ſcrutari conſueverant; ſed divinâ harmoniâ ſuum quisque officium facere. Ita etiam benedictio divina adminiſtrabatur, ne cuiquam bono eſſet præcluſa, ne pateret malis omnibus, non hîc inſanæ & quotidianæ compotationes, aleatorum, ſymphoniacorum concurſus, feneſtrarum fornacísve frequens confractio, crebræ ſaltationes & choreæ, juvenilis luxuriæ receptaculum, perpetua Bacchanalia, ſed domus ad chriſtum, ad antiquam virtutem, ad *ſimplex & rectum* compoſita, ad quam diverterent amici modeſti ac ſobrij, confugerent afflicti ac miſeri, accederent literati & ingenioſi,

nioſi, omnes, qui boni eſſent, qui con ſilium capere, qui rebus dubiis ſuccurri aut optimæ œconomiæ exemplum intueri vellent, convenirent.

Interea fœcunda Mater octies Patrem nobili ſobole coronat, ſed veluti quæ minus præſtiterit, tantâ adhuc curâ, ſolicitudine tantâ donaria ſua exornat, ut vel muta adhuc, tenella, & balbutientia ad Dei laudem, parentum reverentiam, morumque civiliorum initia compoſuerit, inſtituerit, ac cum ſupremâ Patris dilectione produxerit. Inde diviſione quaſi factâ, ſibi ſumſit filias ad Oeconomiam, ad pudicos mores, ad elegantiam virtuoſam omnem inſtituendas, *filios* Patri tradidit, quos nō literis tantùm primoribus, ſed quod in *Philippo* filio diligenter præſtitit, arcium initiis quoque erudiret. Tantus ſcilicet utrobique erat imitationis ardor, ne qua virtute quondam in parentibus celebri carerent, néve in probitatis bonæque cum illis famæ certamine inferiores reperirentur.

Tunc & ædificandi honeſta cupido

inceſſit, ſive neceſſitate id petente, ſive exemplo excitante. Jam Patris arx *Dreſchclinga*, jam Patrui *Breſtenecca*, tum cognatorum *Bonfelda* & *Furfelda*, omnes novæ ac elegantiſſimæ ſtructuræ multam à ſumptibus & ornatu, ſed ab ædificantium æquitate majorem famam impetraverant: illis ſuam addit arcem *Rappenau*, ſumtibus ſuis (quod rarum hodiè, quãtumvis juſtiſſimum) id eſt, nullo ſubditorum ſudore, impenſis, moleſtiâ, ſed permagno fructu erectam, firmatam, mox variâ elegantiâ, at ſui inprimis, familiæque ingreſſu, ac inhabitatione ornatiſſimam. [*1603. 27. Sept.*]

Hæ ſunt illæ ædes, quibus, veluti tutelares Deas, introduxit Iuſtitiam, Prudentiam, Temperantiam, Scientiam, Liberalitatem, Benignitatem, Ordinem, Parſimoniam, Concordiam: quibus dum ſingulis ſeruit, & quotidiana quaſi offert ſacrificia: quorum juſſa dum expedit ſtrenuè, anne putatis, aut defuiſſe eum Reipublicæ, etſi in ædibus retentum, aut otij quidquam ad ſequendos

Aulæ

Aulæ ſtrepitus ſuperfuiſſe? Aliorum id ſit, aliis libeat: ſanè cui tot homines, quot *Eberhardo noſtro* quõdam, à Deo commiſſi ſunt, cui eâ, qua ille, curâ amplecti, regere ſolicitudine decretum, non habet, cur alienis ſe immiſceat, opus, nec, ne minus Deo, Patriæve ſerviat laboriosè, periculum.

Verùm talia eruditi diſputent. Hic veluti ſingulorum è ſubditis, pater, primum de ***Divini Verbi puritate***, dein pace, politiâ, & augmentis proſpexit; inde, quantum potuit, probatos ubique & vitæ integrioris iis præfecit, aut amovit indignos; mox, qui cujusvis mores, labores, œconomia eſſent, curiosè inquiſivit, bonorum anniſus juvit, impedivit malorum conſilia. Theſauri ejus erant ſubditorum incrementa, debitores ferè unici ſubditi, qui & agellos & domos, & liberorum manuaria artificia, & ſuam formationem & honeſta matrimonia, & victus quærendi rationem, omniumque commodè vivendi formam, grata acceptaque ei retulerunt. Ille ſingulorum nomina

ſcire, ſingulorum ingenia nota habere, ſingulis officia ſua diſtribuere, ſingulorum acceptas aliunde injurias componere, ſingulos, (& magno quidem ære) erigere, gaudium ſuum ac laborem eſſe ita voluerat.

Nec minus interea ſi quis à Deo evocandus, liberis ſuis expetiebat tutorem optimum; ſi quis in juris controverſiâ, explicatorem optimum; ſi quis in animorum diſtractione, conciliatorem optimum; ſi quis in Patriæ periculo, conſultorem optimum; ſi quis in rebus dubiis, amicum optimum; ſi quis in virtutis via, promotorem optimum; ſi quis d nique in literis artibusque humanioribus ornandis, Patronum optabat optimum, huc ibatur, hîc ſatisfiebat, imò ſuperabantur ſingulorum vota, ut qui omnem vitam bonis tribuere, qui præ omni gloriâ, aut Famâ nominis, quoquo labore, moleſtiâ quaque, denique etiam quorundam odio, dignè petentibus ſuccurrere, prodeſſe, conſulere, ſibi propoſuiſſet.

Tantum erat literas experientiæ, judicium

dicium pietati conjunxiſſe, quicquid undique ornamentorum fuit aut excellentiæ, *ſimplici ac recto* contribuiſſe. Non hîc genus, non liberius vitæ genus, non opes, Fortunæ aut famæ applauſus nocere poterant; ſed ratio, quã in omni vita imbiberat, prædominabatur. Ab ea victus quotidianus, qui nullius è ſubditis fame; amictus, qui nullius nuditate; exercitia, quæ nullius defatigatione; ſervitia, quæ nullius coactione; liberalitas, quæ nullius depilatione; abundantia, quæ nullius onere; præeminentia, quæ nullius depreſſione conſtabat, vitæque ſplendor ac felicitas cum ſingulorum ſalute cõjuncta, nuſpiam glorioſa aut effervefcens: Sed libris, ſi quando vacabat, abdita, & aut juri æquoque quærendo, aut humanis actionibus, ſeculorum revolutionibus pernoſcendis, aut Politicorum diſcurſibus inſpiciendis; verùm præ reliquis *Animæ* noſtræ excellentię, ac per Chriſtum impetratæ felicitatis meditationi, dedita.

Ita exigebantur anni ſeptendecim,

ſanè conjugi, ſubditis, cognatis, amicis vix totidem dies, ac, ſi lamentantibus credimus, omninò æquo pauciores. Jam templum novum ſuo ære exſtruxerat, abſoluerat, jam è Filiis primum ſtudiis tradiderat, jam ad laudabiles quosque conatus ſeſe animo ac votis quaſi præpararat, cum præter bonorum omnium opinionem atq; preces, cordis ei, virtutum, voluntatis, ac functionis exactiſſimæ dimidium, Conjunx, *Anna Catharina*, eripitur. Illa morbo difficili, verùm qui remediis cedere videretur, aliquandiu tentata, cùm fruſtra *Badenſes thermas* oppoſuiſſet, prævalentibus capitis doloribus acutiſſimis, paucis diebus decumbit, ac inter preces lacrimasq́ue ſuorum placidiſſimè exſpirat. [1611. 3. *Octob. H.* 7. *pomerid.*]

Ingens hîc luctus, & qui ſummus cunctis videbatur, qui tantæ Matronæ beneficio aut vixiſſent omninò, aut vixiſſent commodiùs: ſummus familiæ, quæ huic columnæ innixa hactenus fuiſſet, ſummus liberis, quibus poſthac dul-

dulcissimâ Matre, exoptatissimâ informatrice, castitatis, morum placidissimorum elegantissimorumque exemplo carendum esset.

At utinam summus hic luctus fuisset, & unius funeris lacrimis, ejulatibus, tristissimisque exequiis [8. *Octob.*] constitisset! supererat majus malum, quod & supra lacrimas esset, & fletus nostros in stuporem converteret, Mariti scilicet dolor, qui doloris nostri causa, luctus nimius, qui æternum nobis luctum peperit, ac qui neminem hactenus læserat, postremis lacrimis, gemitibus ac suspiriis suis, nos insanabilibus vulneribus sauciavit. Ambulabat is (reliqua nostra spes) dimidio mortuus, solabatur se subsequendi spe, relinquendi terras desiderio: sive ipsi cineres vocabant, sive is concupiscebat cineres, sive tantam copulam ne Morti quidem disjungere fas erat, sive morbus veluti commiseratione promoverat, sive tandem qui nihil à Deo frustra petiisset, hoc postremo etiam voto auditus erat, ille heu liberis, cognatis,

amicis, nobis relictis ac propè ſpretis omnibus, ad conjugem, ad toties inclamatam conjugem; ad deſideratiſſimam conjugem approperat.

Uno hoc non ſibi, ſed ſuis nimiùm amavit, conjugijque & concordiæ vinculo arctiùs, quàm natura petierat, ſeſe aſtrinxit. ſed ille, cum qua, & propter quam libenter vixiſſet, ſine qua vivere moleſtum eſſet, ac nollet, veluti quid defunctæ Manibus deberet teſtatum facere geſtiens, mortem animo concipit, corpore contrahit, morbo præſagit, verbis denunciat.

Vix unâ horâ decubuerat, cùm ille lætus, ac quaſi impetrato voto ovans, ſuis revaleſcentiæ ſpem omnem diſertis verbis abſcindit, ſimul luctum deponit, & novam conjugis ac beatam ſalutationem, novos ac perpetuos amplexus, alterum ac æternum connubiũ animo jucundè agitat. Non ille mortem horret, non morbi dolores ſentit, non liberorum curâ tangitur, non ſuorum lacrimis commovetur. Chriſtus ei (cujus ſacroſanctum corpus devotiſſimè

mè

mè excepit) mortem exoptatam jam fecerat: futuri exſpectatio morbum lenierat: Confeſſio, pœnitentia, ac Fides peccatorum ſarcinam ad Redemptoris pedes depoſuerant: Conſcientiâ rectè actorum, & bonorum teſtimonio, Famæ conſultum: liberis ſub Dei tutelâ ſufficienter erat proſpectum, cùm ille, tanquam ad iter expeditus, ad cœleſtis vitæ introitum paratus, poſtremum vale ſuis dicere concupiſcit. Aderant triſtiſſimus Frater Johannes Wilhemus, & tres mœſtiſſimæ ſorores, quæ ad tam inopinatum luctuoſumque vale convenerant. Conſtantiſſimus omnium, & præſentiſſimi animi moribundus, non ſolatio eget; ſed ſolatur; non Medicam manum anxiè implorat, ſed vix tolerat; non vitæ aliquos ſaltem dies expetiſcit, ſed diſceſſus horam indicat, &, quod omnes (quibus id oculis intueri licuit) teſtantur, non aliter ac qui corpore ſanus officium in manus alienas reſignare ac abire vellet, liberis ſuis tutorem propitium Deum precatus, ſui honeſtam memoriam, liberorum

educationem Christianam, subditorum paternam curam, pauperum liberale subsidium, Ecclesiæ & scholarum favorem, literarum promotionem, erga singulos, qui ei serviissent, gratitudinem, denique omnis eius, quod ipse in vita fecisset benignam ac Christianam interpretationem commendat, expetit, & de suis spe postrema sperat; nec multis pòst horis eo, quod prædixit, puncto inter sacra verba, liber doloribus, liber curis, liber tandem corpore ad Deum evolat. [*26. Octob. H.4.a.*]

Ecquid nos agimus? congratulamúrne, an lugemus? Si is, cujus vita per omnes articulos felix fuit, honestissima, utilissima, celebris; cujus mores Patris *Reinhardi*, cognomento *Benè dilecti*, repræsentarunt, renovarunt; cui, quicunq; unquam habuerunt cognitum, omnes aut famam aut gratitudinem se debere agnoscũt, cujus actiones cunctæ Deum, jus, æquum, *simplex ac rectum* spirabant; si is, inquam, vitam gloriosam expetitâ morte clausit, & postremo hoc, quo Naturæ ob-

strictus

ſtrictus erat, debito, etiam promptitudinis; fortitudinisque laudem impetravit, ecquid dolebimus, eum, ut hominem, mortuum; ut cœlicum, cœlis receptum; ut perfectum amatorem, ab amatâ attractum; ut bonorum omniũ ſervum, manumiſſum; ut corporis ſui captivum, liberatum; denique bonum virum, civem, maritum, patrem, magiſtratum, patronum, amicum, herum, ad recipienda virtutum præmia, Fidei & pietatis coronam, patientiæ & conſtantiæ brabeũ, evocatum eſſe? Nos verò lugemus, & ſortem noſtram eò plures deploramus, quò ex omni penè hominũ genere magis ſentimus, quid amiſerimus. Non vacua jã domus eſt aut à conjuge tantùm aut ab ipſo; ſed cum illo egreſſus ille nuper conſpicuus virtutum chorus. Luget familia honorificum ramum: luget domus fortiſſimam columnam: lugent Orphani parentes: lugent ſubditi patrem: lugent miniſtri patrem: lugent afflicti aſylum: lugent Academiæ inſignem ac gratum diſcipulum: luget Reſpublica præſidium:

luget Patria filium: lugent boni patronum aut ſocium: Rappenavia luget: Buttenhuſia luget: & quis finis erit? omnis Nobilitas virtusq; luget, & cùm plura non poſſunt, inanime cadaver, tanti nuper viri hoſpitium, conjugis exuviis tantopere expetitis cum gemitu, verisq; lacrimis jungũt. [*31. Octob.*]

Felices animæ, felicia corpora jam ſecundùm juncta quieſcite! laboraſtis ſatis, quieſcite: benefeciſtis abunde, quieſcite: & beatiſſimo in cœlis conjugio veſtro fruimini: jam vos nihil disjunget, ſed æternâ in Chriſto unione, quod è vobis in terris vobis reliquum eſt, exſpectabitis. Vitæ veſtræ periodus peracta eſt, jam miniſterio veſtro defuncti eſtis. Non vos ultrà curæ graves, non morbi inſuaves ſolicitabunt, ſed beatâ quiete, & quietâ beatitudine, dum Mundi ſe reliquũ circumvoluat, dormietis, & ad glorioſum tubæ ſonum revocati à Deo evigilantes animas recipietis, receptis ad Deum producemini, producti à Chriſto excuſabimini, excuſati omnibus cœleſtibus gaudiis,

ſanctorum converſatione, Angelorum choris, Trinitatis perpetuo aſpectu, & applauſibus æviternum perfruemini.

O mors beata, miſeriarum noſtrarum finis, vitæ veræ ianua, corporis afflictiſſimi unica medicina! quam nemo odit, nemo metuit, nemo deformem judicat, quisquis rationem bonam, conſcientiam puram, libertatem veram, vitæ ſuæ regulas facit, nec opinionibus unquam, turbinibus aut conſuetudinibus hominum ſubmittit, ſed ad *rectum ſimplexq;* & cogitationes & appetitus, & motus, & actiones ſuas cunctas examinat atque inſtituit, artem nullam exquiſitiorem, ſcientiam nullam excellentiorem, famam nullam exoptatiorem, titulum nullum ſublimiorem, Fortunam nullam largiorem, quàm BONUM ESSE judicat, atque ita in univerſo vitæ curriculo experitur. Inde nihil, quod ſub cœlo eſt, ſuum eſſe, omnia aliena & in uſum data, agnoſcit: nihil Fortunæ blanditiis nihil hominũ adulationibus credit, ſed uti res intra ſe revera eſſe agnoſcit, ac reperit,

ita

ita foris iis utitur, de iis judicat, ab iis ſe regi minimè patitur, tandemq́ue expeditâ vitæ ſubductione ad mortem accedit, eam ſubit, per eam ad vitam penetrat.

Talis fuit *Eberhardi* noſtri in Chriſto glorioſè requieſcentis vita, quam lacrimis noſtris & mollitie dehoneſtare, eſt indignum. Ille, qui corpus ad duritiem, animum ad ſoliditatem, omnem vitæ rationem ad mediocritatem, ad *ſimplex & rectum* compoſuerat, jam vel mortuus nos jubet, ut ad maſculam potiùs virtutum ſuarũ imitationem, quàm femineos fletus nos accingamus. Id equidem debemus excellentiſſimi viri memoriæ, ut quos ipſe à majoribus habuit mores hæreditarios optimos, quos poſtea auxit, & literarum conjunctione reddidit auguſtiores, quos videmus ei in omni vitâ ad Dei benedictionem, hominum amorem, felix conjugium, pacificum regimen, optimam œconomiam, bonorum augmentum, vitæ tranquillitatem, & æternam nominis famam exoptatiſſi-

ptatissimè cessisse eosdem in relicta nobili sobole continuatos, auctos, propagatosque omni desiderio optemus, omni labore ac studio impetremus, hocque supremo in *Eberhardum* merito, tam sacris, immaculatisque cineribus litemus.

Audiat hæc vota Deus, & adimpleat, ut unus noster *Eberhardus* ternis paternarum avitarumq; virtutum æmulis repræsentetur! Illa felix Gemmingensium arbor, & in ea ab hoc ramo octo surculi floreant, vigeant & quotidiè revirescant: non deficiat unquam in ea umbra bonis, succus egenis, fructus Ecclesiæ, suffulciatur concussa domus benedictionis & tutelæ divinæ columnis, redeant in desolatas ædes *Eberhardinæ virtutes.* Tutores paternum, Fratres paternum, seniores paternum, meliores paternum animum cõferant, unumque illum quondam patrem referant, amici amicum, subjecti obsequenté, literati ingeniosum, egeni gratum affectum cum piorum cunctis precibus conjungant, & condignum

meritis

meritis Cenotaphium in orphanorum pectoribus erigant. Omnes, omnes defunctis requiem, superstitibus *simplici ac recti* observantiam comprecentur.

Ita à me vale, Nobilissime Vir; vale, gaudium meum; vale, amor meus; vale, spes mea, & ob tam eximium, quod in te reperi, diu scilicet desideratum, quæsitumque virtutis non pictum fictumque, sed vivum exemplar, hoc minutum ac verè scholasticum accipe. Vale in Deo, quem coluisti vale in Christo, quem dilexisti: vale in pace, quam promovisti: vale in quiete, quam exercuisti: vale in gloria, quam exspectasti: vale in concordia, quam repræsentasti. vale in scientia, quam appetiisti: vale, vale usque ad conventum nostrum,

Nobilissime, prudentissime, liberalissime, integerrime, beatissime *Eberharde*,

Vale!

IN

nobis ablatum pararium luximus. Nunc *cùm locorum intercapedo colloqui nos, & mutuo amore perfrui vix ſinat, ego tamen, ubi ubi legetur* Heſſus *meus, illius de te præclari teſtimonij, & affectus in me tui æſtimationem publicè extare, atque unà cum* Heßo *in amoris & patrocinij ſinum concredere volui. Vale, vir Clarißime, & me, quod facis, ama.*

D. 1. Ian. A. 1619.

T. E.

officioſ.

Joh. Valent: Andreæ.

TOBIÆ HESSI,

Viri incomparabilis,

IMMORTA-
LITAS.

M DC XIX.

Viro Nobili & Clarissimo,

D. JOANNI STOFFELIO, U. J. D. & Hericuriæ præfecto, &c.

S. P. C.

Vi potiùs, quàm Tibi, vir Nobilis & Clarissime, Hessi *nostri* Immortalitatem *committerem, non habui. Nam ut ejusdem es sanguinis; ita studiorum, morum, propè etiam cogitationum fuisti individuus socius. Sæpe affirmavit, nihil, nihil habuisse tuo consensu fidelius in terris, nihil ingenio, & dexteritate jucundius. Itaq; cùm mihi maximè benefactum vellet, tuam amicitiam frequenter exoptavit. Sed distulit hoc Deus, usq; dum uterque*

nobis

TOBIÆ HESSI
Immortalitas.

C. S.

CUM *Tobias Heſſus*, bonorum hactenus amor, malorum odium, ad Deum nuper vocaretur, Fidei & Patiētiæ ſuſcepturus coronam, varios credo multorum fuiſſe animorum motus, uti quemque tanti viri *fama* vel delectabat, vel urgebat, vel etiam ſub communi aliquo errore occupaverat; neminem tamen, quòd ego ſciam, tam inuſitati in eum amoris ac officij, cum intimâ cognitione, duo diverſiſſima ſimul, ac me, invaſerunt, ſummum gaudium, dolorq́; ſummus; tantâ utrinque violentiâ, ut quantumvis monſtroſum ſit, in amiciſſimi funere lætari; inutile verò, nec pium ſatis, beatam beati ſortem deplorare, ſic tamen impotenter à triſti lætitiâ, lætaq́; triſti-

In panegyricum

DE VITA ET OBITU, pietate, virtute, & genere Nobiliſſimi & laudatiſſimi viri, DN. EBERHARDI à GEMMINGEN in Rappenauu & Butten-hauſen, &c.

SCin', quid ego ſtatuam? laudatos inter haberi
quisquis amat, laudis ſtemmata ſola colat.
Et benè laudati quisquis præconia dicet;
celſæ virtutis ſtemmata ſola vehat.
Exemplar rogitas? præſentem noſce libellum,
vivæ virtutis ſtemmata viva vides.
Nobile par: Alter virtutis ſplendet honore,
alter, quæ laudet, præcoſonorus, habet.

Matthias Haſenrefferus, SS. Theol. Doctor, Præpoſitus & Cancellarius Tubing. f.

TO-

triſtitiâ meâ regar, ne ullo patientiæ æquilibrio conquieſcam, ſed inſolitâ hac formâ ad exoptatiſſimi mihi quondam viri iuſta protrudar.

Quæ ſanè animi mei neceſſitas, vehementiſſima *amoris vis, debitique* mei evidẽtia tantum, opinor, apud te, Chriſtiane Lector, valebunt, ut mitiùs interpreteris hunc immaturũ amici officij fœtum, quo fratris cineribus, Amici amori, &, ſi id non ſufficit, Heſſi meritis, non quantum debeo, ſed quantulum poſſum, nolens ſimul ac volens, ſatisfacio, coactus ſcilicet amici umbrâ, & ad excuſationes etiam meas ſurdeſcens, nec mei ipſius patiens, niſi pro Heſſo, heu quondam, imò jam verè meo, tuum, ô Lector, quale quale erit, ſubeam judicium.

Quod utinam eò usque teneas ſuſpenſum, dum incomparabilis viri non laudes, ſed ſatis ſit dicere, ingenium ac mores, agreſti quantumvis ſtilo obumbratas benignè excipias! ſpero, & cum Deo confido, non tantum valebunt apud te vel rumuſculi inanes, vel judi-

candi

sandi periculosa festinatio, vel imprudens etiam ingeniosiorum conatuum odium, denique illæ Mundi contra Christo devotos machinationes astutissimæ, quin Hessum nostrum, hactenus quidem suæ modestiæ, patientiæque, aliorum malevolétiæ involutum, nunc à veritate, Charitateque paulùm productum, *Amicum Dei, Servũ Christi, Fratrem Proximi, Doctorem Veri, Actorem Boni, Decus Literarum, Tubingæ Astrum, Naturæ Thesaurarium, mundi offendiculum, Satanæ hostem* agnoscas, admireris, desideres.

Te verò, Jesu Christe, Hessi tui hactenus exspectationem, nunc plenam possessionem; hactenus exercitium, nunc optatam quietem; hactenus scopum, nunc beatam conjunctionem ardentissimè exoro, qui olim cunctis ferè crucis tuæ instrumentis fidelem servum tuum ad tempus exercuisti, patiaris jam tandem invictissimi Athletæ exemplum, non flagellatoribus suis in infamiam, sed sub perpetuo Patientiæ trophæo iis saltem in consolationem

extare, qui idem ſacri ſilentij ſtadium ingreſſi, ad eundem, quem ille felicissimè tetigit, terminum contendunt, ut qui bonorum, hoc tempore non niſi ominoſam, jacturam deplorant, veſtigia optimi hominis, quantum per ingenij mei lutum licuit, odorari, qui facilè ob nugas haud exploratas, inæſtimabiles viros perdunt, in hac nudâ veritatis ſimplicitate, quantum per aliorum famam libuit, erubeſcere poſſint ſufficientiſſimè.

Heßum cùm nomino, iis, ſcio, qui ſub amore cognoverunt, gravis ſum, qui nunquam, niſi cum dolore, vultus ad Chriſtianam ſeveritatem compoſiti, linguæ in Dei encomia ſolutiſſimæ, pectoris in omnes nivei, animi ad quæcunque cum humilitate præſentiſſimi reminiſcuntur. Qui animæ tam nobilis domicilium non ſunt præſentes intuiti, hominem fingant corpore rectũ, fronte ſerenum, oculis vivacem, naſo acutum, ore amabilem, manibus lætũ, membris fortem, motu agilem. Nempe Naturæ divitiæ non ſemper ſtabulantur,

lantur, ſed delicatiora ſibi nonnunquã habitacula ſeligunt, ubi ampliùs ſeſe, ac cum gratiâ hominibus commendent. Sed quid tandem terra nobis det ſolidi?

Ortum hujus viri [1568. 31. *Ianuar.*] debemus Noribergæ, illi ingeniorum & elegantiæ omnis non nutritiæ ſaltem, ſed matri, propiùs tamen Friderico Heſſo, Senatori Norihergenſi, & N. N. honeſtiſſimæ matronæ, parentibus, qui genere, an pietate, an integritate, an diligentiâ præſtiterint amplius, dubium reliquerunt, pietate fortaſſe, ſi in liberos hæreditas illa tam dives deſcendit: hac enim noſter, cùm omnibus abundaret, prævaluit. Non aurum illis, non meritis partus honos, non prolis renaſcentis voluptas tanti fuit, quanti Tobiæ preces, lectiones, obœdientia, innocentia, ſobrietas, ac ſimplicitas, quas juventutis ſibi cuſtodes, vitæ omnis ſocias ſibi conciliaret. Fecit hic, & cum gemitu ad illos innoxios annos ſæpius reſpiravit, quibus parentum quotidianã devotionem æmulari, præceptorum diligentiam fatigare, Deum

hymnis laudare, mundi malitiam nescire, & intemperantiam abhorrere licuit. O parentes, parentes, quàm velim vos omnes pari elogio, quo noster suos, præsentem indulgentiam intuitus, frequenter ornabat, dignos, scilicet severitatis moderatæ custodes, pietatis sinceræ anteambulones!

Hanc paternam scholam exceperunt Academiæ, sacram, quod sæpè ajebat, prophanæ, non literarum Artiumque professioni id dedecus adscribens, sed malè feriatæ turbæ, quæ sub literis licentiam luxumque sectatur inertem. Illæ Erfurtum, Jena, Altorfiũ, Tubinga erant, nulla ipsi, nisi cum horrore, & Christianâ indignatione, nominanda, quoties, non quid facere potuisset, sed quid fecisset, reminiscebatur. Quàm insons exivi (sic lamentabatur) quàm sobrius, verecundus, discendi avidus! quàm factus sum scelestus, audax, bibulus, socios habui nebulones, Præceptores privatos nihili, approbatores tumultuariæ vitæ; reprehensorem, monitorem, heu propè neminẽ!

Sacri

Sacri & optimi libri erepti mihi pestiferis mutabantur: vix interdum recollectus mihi protrudebar cum corporis & animi dolore, reluctabantur Paternæ institutionis scintillæ: sed rapiebat seductorum, potiùs lictorum manipulus: vinum abhorrens, vim infundentium tuli: ruborem, non nisi invitus, perdidi: verum vix uspiam audivi, potius ad opinionum strepitus obsurdui. O aurum, quàm me prodidisti! ô parentes, quàm frustra monuistis! ô boni, quàm procul mihi fuistis!

Sic ille, conscientiosissimus, & credidisses, aleatorem, heluonem, turbatorem, pamphilum fuisse: nempe sibi tantò rigidior juvenilium errorum judex, quantò alij scelerum suorum iniquiores patroni. Nos scimus, & probati viri testantur, nunquam obedientis & seduli Studiosi officium neglexisse: sed quòd Musicæ addictior esset, plures habuisse solutioris, quàm astrictioris vitæ socios, quam exinde non minùs, ac scholas publicas haud undique probabat, velut res optimas, sed in hor-

rendam ingeniorum cladem magnã parte conversas.

At quis credat, otiosum fuisse Hessum, vel dissolutum, qui paucissimis annis præter Hebraicæ, Græcæ, Latinæq; linguarum elegantissimam triadem, Philosophiam omnem, nõ, quod nostri, percurrit, sed imbibit, Poëseos insuper, ac Historiarum ornamentis, denique Mechanicæ multiplici famulitio ita instruxit speciosè, ut pares videret paucos, inferiores infinitos? Sive Mathesin vellet, sive Physicam, sive Morum magistram, aderant paratæ, & linguæ disputanti, differentiq; influebant copiosissimæ. Jam tum acquiescere posse aliis credebatur, & florere, utique Pluto propitio; sibi minimè: ut qui (iterum verba recito) in his omnibus non reperit cibum, qui animum pasceret, animam satiaret, hausit itaque, & absorbuit, ad alia subinde conversus, aliis, unde quietem, scientiamque sperabat, inhians, scilicet omnia, quàm fama fuisset, minora, incertiora, imperfectiora reperiens, jure contemptum il-

illi s

illis, ac fraudis quasi exprobrationem deberi, nescio an iniquè, judicaverat.

Jam Mundus blandiebatur, & amplissimis promissis ingenium nobile ambibat, elevaturus nullo dubio, si in leges ejus consensisset, fecissetq; conscientiæ divortium. Juris Æquiq; speciosa nomina hominem æquissimum titillaverant, tantumque vel invito vel minùs addicto ingenio imponebant, ut replevisse hominem, ac supra multorum diligentiam, non nomine tantùm, sed re Doctorem fecisse viderentur, cùm ille interea alienis potiùs, ac imprimis Soceri sui (verè Antonini pij) nervis traheretur, quàm liberis mentis alis uteretur. Hinc Spira eum, inde Tubinga Jurisconsultum habuerunt, sed qui potiùs imposturas sub Iustitiæ solio numerosè latentes abhorreret, quã beneficia, quæ depressis inde promanant, ita æstimaret, ut melius quid hominibus præstari, suo ingenio sufficientius acquiri posse, desperandum censuerit; ita nequaquam in Jurisprudentiam iniquus, quæ æquissima ju-

ſtiſſimaque doceret, ſed à litibus potius humanis, earundemque ſordidâ tractatione, alienus, ut primùm potuit, à foro poſthac abſtinuit.

Inclinabat jam à primis annis ad Corporis humani tractationem medelamque, tum Naturæ opes inſpiciendas, quo eum Matris, ut ajebat, Pharmacopœia domeſtica invitaverat. Medicinam ergo, aliorum dum eſſet, furtim ſolicitabat, videbaturque omninò ſibi ex herbâ vel flore Dei digitis depicto plus, quàm ullis legum titulis capere voluptatis. Eam, ut primùm ſuus alimentique quaſi ſecurus factus eſt, pleniùs admiſit, frequentius tentavit, denique cùm ſævo ac invicto propè Medicis morbo cruciaretur, ſeriò ſibi junxit, & qua Librum Dei magnum, qua peritorum in arte parvos ſedulò evolvit. Domus ſic alia fit facies: Bartolus & Baldus vale audiunt; Hippocrates, Galenus ſalve; quos tamen ſic intromiſit homo liber, & nemini juratus, ne imperarent, aut mancipatam vellent æthoream mentem. Itaque cum delicatiores

tiores essent purpurati Doctores, Paracelsum adjunxit, hominem minùs nauseabundum, ubi Naturæ consonantia abest, incredulum, laboris & experimentorum magis patientem, denique in vestigandâ rerum mixtione importuniùs curiosum. Quos amicos libens ac socios ad Severini Dani modestiam fecisset, si per utriusque factionis addictos licuisset. Scilicet hoc libertati suæ, quæ nullius sumptu constabat, debere arbitrabatur, ut absque plebejâ altercatione, judicijque parùm informati præcipitantiâ, hinc artis Pæoniæ methodum, præceptaque, inde examen, sive tentamen veriùs, oculis usurparet, manibus palparet, atque adeò divinas literas creaturis hinc inde impressas jucundissimâ anatomiâ intueretur. Hoc opum in Philosopho possessore officiũ erat, ut, quantum unius hominis industria posset, tantum verioris certiorisq; lucis rei afflictissimo hominis corpusculo tantopere necessariæ afferretur.

Ita Galenum, Paracelsumq; Hessus noster amicos habuit; utriusque secta-

tores non item: quibus quicquid tandem bilem movit (recitator enim ſum, non inquiſitor) certè iis plus, quàm raò Chriſtiana charitas animo excidit. Impudentiores quidem fuerunt multorum calumniæ, quàm quibus vel jam delectari poſſint; ineptiores vulgi cavilli, quàm qui enumerari mereantur; ſed tamen quæ Heſſum ſtimularũt, quæ fecerunt animoſiorem. Ineptuli, gaudet diſplicere virtus, ſurgit depreſſa: laudare debebatis, ſi voluiſtis enervatum. Ille ridere incipit inanes ſonos, judicium ſtolidum, verba emendicata, linguam ſervilem: jam tentare artem juvat, jam erigere languentes, ut ſanitas ipſa vobis odioſa ſit. Sanè, quòd prodiit, exoratus eſt: quòd libenter prodiit, ſibi, non ægris, ſumptuoſus, vobis debemus, quotquot candidum animum & in ſe ipſo acquieſcentem atris lividisque telis provocaſtis.

Facile itaque ſit malevolos contempſiſſe, repentes & ſibilantes animas: Fortunam blandientem rejeciſſe hîc Heſſo conveniebat: nec invitavit illa toties,

toties, quoties ille animo ſprevit. Ubi eſtis, qui chartaceam nobilitatem obtruditis? hic familiæ decus texit: qui amicitiam generoſorum fingitis? hic ſe ſubduxit: qui Magnatum munuſcula mendicatis? hic lauta ſtipendia evitavit: qui lautiorũ offas allambitis? hic Principum familiaritatem declinavit. Vera dicam, aularum blanditias, auri inſidias, honorum titillationes vix alius effugiſſet, niſi Heſſus noſter tam ad Magnatũ invitationes inexorabilis, quàm ad cujusvis petitiones facilis, ſerenus fuit atque liberalis. Quod teſtarer ego, qui illuſtres literas è variis Germaniæ aulis transmiſſas legi, niſi id Tubingæ (an etiam Heſſo-maſtigibus) eſſet notiſſimum. Nec effugit tamen planè favorem illorum, qui inviti potiùs exquiſitiſſimo artium indagatore diſceptatoreq́; carebant, abſentiamq́ue internunciis ſolabantur, quàm animi modeſtam conſtantiam ulterius tentatam voluerunt.

Iterum ſatis erat, Famæ & Memoriæ Templum, ſub tam illuſtri & magnifi-

co applausu, Physicæ Medicinæq; gradibus ascendisse, cùm ille nihil fecisse arbitrabatur, nisi quem vidisset Deum in creaturis sapientissimum, eundem audiret in sacris clementissimum. Id namque restabat homini per omnes scientias profecto, ne oblivisceretur, cur in hanc terram missus esset, quid tempori jam, ac mox æternitati deberet, quis animæ cibus, & divinæ mentis vix satiandæ terminus, quod Dei cum homine commercium, quæ divini sacrarij lustratio foret, néve cœlestis patriæ incurius deprehenderetur. Ad Biblia igitur (quò enim tutiùs iret) totus vertitur, oculis, linguâ, memoriâ, pectore: non mensurata illi lectio, & ad clepsydram distributa; sed avida, importuna, fervens, lacrimis nunc & suspiriis, nunc insolitâ gaudij micatione intermixta: qualis omninò decet librum, qui mera pondera, merum spiritum, & inexhaustam sapientiam loquitur. Jamque non ipse sibi, sed universus mundus eruditus simul ac fatuus sordet, jam orare, quàm disputare mavult;

vult: jam credere, quàm inquirere eligit; jam ſequi, quàm ſcire t ntat: jam experiri, quàm d ſcribere Deum concupiſcit.

E quidem, quæ multis vitioſa eſt, frequens vitæ mutatio huic glorioſa ſemper fuit, inexpectata illa quidem, ac, ſi hujus temporis mores ſpect s, retrograda, ſed in Cœli itinere recta atque expeditiſſima. Obvij ſunt, qui Theologicam ſeveritatem politicâ licentiâ commutarunt: qui ſolutiorem vitam ſcripturæ regulis ſubdiderit, Heſſus eſt. Sordet pleriſque Dei ſermo, tinnit gentilium garrulitas: qui neminem, niſi Deum, audiat, Heſſus eſt. Honeſtè vivere, multis decorum videtur: qui cum aliorum ludibrio religioſam vitam ingrediatur, Heſſus eſt. Corporis & Animi concordia quibusdam curæ eſt: qui membris ſuis bellum indicat, Heſſus eſt. Quid ingeminamus? Heſſus olim bonus Jurisperitus, pòſt melior M dicus, nunc optimus Theologus eſt, non ignarus (ne n ſcias) vel vet rum, vel recentium, inprimisque

noſtrorum Doctorum, quos ille, librorum felix heluo, magno numero evolvit, non controverſiarum, hæreſeon imperitus, ſed in Chriſtianæ vitæ imitationem, quàm doctrinæ defenſionem attentior; in Praxin, quam ſcientiam incitatior.

Dum in hunc devotiſſimum modum corporis ſui ſacerdos eſt, neſcio quo ſeculi impetu, prodire ceperunt, qui ruinæ, quæ Antichriſto deberetur, minas, Eccleſiæ afflictioris ſolatia repeterent. Illi cùm plurimam ſcripturam pro ſe citarent, non omnino diſplicuerunt Heſſo, quòd in Fidei fundamentis nihil turbarent. Et ut fit, humanâ curioſitate, numeros etiam ſacros obſervare tentat, ſi quid fortè arcana quædam temporis correſpondentia, veteris etiam ac Novi Babylonis conſonantia, revelarent. Quod ut innoxium primò fuit, & cum ſinceriſſimis quibusdam Theologis commune: ita paulò pòſt juniorum incogitantiæ vitio factum eſt importunius, cùm non tantũ rhythmi ac figuræ talia obſcuriſſimè delineantes

neantes extorquerentur Hesso: sed ipse quoq; ad defensionem opinionis nunquam pectore fixæ produceretur. Itaque cum amicè moneretur, sic moderatus est opinionis excusationem, ut si non cogitationes suas omnes, certè animum integerrimum & Religioni nostræ addictissimum multis, atque utinam omnibus probarit, deinceps verò à juniorum imprudentissimis expiscationibus se subduxerit.

At hîc calumnia tripudiare, hîc jactare se illa, & quæ in Chymico nequicquam dentes impresserat, nunc Naometram, nunc Chiliasten, nunc Somniatorem deprehendisse, ovans. Mirum est, quàm per sordida ora candidissimum virum macularit, & ut vulgus nuspiam, nisi mendaciis liberalius est, ita quosdam non adeò iniquos, sed minùs innocentis famæ curiosos occupavit, me etiam, quod doleo, facilè induxit, ut paradoxicum Hessi ingenium & nescio quod aureum confictum seculum, quàm judicij curiosam computationem crederemus. Qua in re quàm

re quàm in Hessùm fuerimus injurij, quàm qui in sanctissima exercitia inquireremus nimium illoti, Ego paulo post non absque rubore agnovi, & nonnullis, qui minùs calumniarum sunt tenaces, idem persuasi. Referoq́ue jam, quod ille nonnunquam cum sale, (bilem enim non habuit) proferebat, mirum esse, inter Evangelicos tantopere laborare, qui nemini, nisi Antichristo, malè minatus sit, cùm facilius invisa Christo scelera tegantur: Ego libenter adderem, mirum esse, hanc unam, ut ita dicam, Arithmeticam potuisse etiam bonos viros ab omni charitatis Christianæ & in optimum virum benevolentiæ officio impedire.

Ita verò est, servitia placent: Adulatores, mancipia probantur: literulæ subnatant: opinio imperat. Quidquid liberum, apertum, solidum, exulet: quisquis dubitaverit, execrabilis esto: non jurare in verba & virgulas, seditiosum est. Quod uti ingenium liberale non tolerat, nec rarò effervescit, ita unus penè hic noster non insons tantùm,

tùm, ſed in adverſantium unoquoque donorum æſtimator, nævorum tector, calumniarum mitior interpres, damni aperti diſſimulator, denique vel futuræ emendationis patiens, vel præſentis reconciliationis avidus, quàm ſeſe præſtitit admirabilem? Jam ſtilo meo iratus ſum, qui, quod exactè, & fortaſſe, quàm pauci, exactius in hoc ſolido & Adamantino viro notavi, exprimere non poteſt. Sed tu finge ſtatuæ multa mala, optata, dicta, facta eſſe; quæ motum iræ non ſenſit: niſi id Heſſo fortaſſe injurium eſt, qui non tulit Ariſtarchos ſuos, ſed amavit, & hoc uno nomine moleſtus fuit, quòd culpanda non reperirent, ſed mentiri cogerentur.

Aliud eſt, etſi revera infra verba, quod multiceps illud animal, literariũ puta & operarium vulgus, ſine mente allatravit. Cùm Mechanicus naturâ eſſet, & ingenij ad quævis invenienda ſagaciſſimi, cepit id quoque in perennis motus fabrica exercere: an cum fiduciâ aliquâ, an examinandæ admirabilis

bilis Staticæ causâ, deprehẽdẽdiq; per varias machinas æquilibrij desiderio, incertum. Sic horæ, quas alij commessationibus bono titulo deberi credunt, motus artificiosi variis tentaminibus condonantur. At non cum veniâ tuâ, zoile; non sine cavillo tuo, plebane; non, nisi, cum sarcasmo tuo, literi gerule: cùm ægrè molæ ubique obviæ fabricam intelligas, in Hessi ingeniosissimas rotulas, admirandas librationes & vix uspiam visas motionum diversitates judicium tibi sumis, scilicet tantò subcisivarum Hessi horarum scrupulosior æstimator, quantò vitæ tuæ totius otiosus simul & Barbarus prodigalior deperditor. Sanè qui sciat, quo inventionum acumine noster ille impossibilitati (si ita dicendum est) sit insidiatus, quàm in perpetui vestigatione motus perpetuâ memoriâ dignos è divitis ingenij penu protulerit, vel hoc uno nomine hominem, cui par vix datur, haud invitus pronunciabit.

Interea Uxoris fœcunditate domus replebatur, quam in tanto numero, duo-

duodenario puta & ultrà, ad exactam ſacramque normam regere, neſcio an alicui facilè fuiſſet, huic certè duodecim Herculis labores facti ſunt, non tàm quòd cum ſeculi hujus vitiis, & Iuventutis variis offendiculis decertare haberet, quàm quòd neſcio quæ Pandora, omnes pyxidis ſuæ feces in hujus ædes videretur velle effundere. Itaque etſi valde laborabat, non ſatis Augiæ ſtabulum purgare, non omnia hydræ renaſcētia capita amputare multis creditus eſt. At ò neſcios rerum! bonus, cautus, optimus venditur Paterfamilias, ubi tot ſunt inſidiæ, quot verba; tot hoſtes; quot hoſpites; tot proditores, quot domeſtici; ubi amor ſimulatus eſt, ubi obſervantia invita, ubi obœdientia coacta, ubi imperium dimidiatum & diſcors. Deum adoro, ne quisquam lector meus verba mea expertus intelligat, ædésve poſſideat, ubi totus oculeus ille Argus oculorum ſatis non habet. Dicant ergo, qui modeſti ſunt, Tobiam cæcutiiſſe: ego qui lynceum agnovi, Siſyphij ſaxi volutatione ſupra humanas

nas vires exercitum, audacter affirmabo.

Non moveo ultrà hanc Camarinam, in Hessij virtutibus potiùs deliciemur. Is, ut verè Herculem nobis præstaret Christianum, post debellata varia mōstra, protractumque calumniæ cerberum, ivit etiam cœlum suffultum. Jam dudum illud, sceleribus hominum, & vitiorum moli iratum, ruinam minabatur, nisi aliqui pij essent, qui Deum nobis retinerent. Horum unus Hessus est, qui, quod alij jubent, ipse facit: quod alij laudāt, ipse exhibet: quod alij exemplum quærunt, ipse præstat; opus illi, quale aliis votum; pietas in ore aliis, huic in corde; aliis in linguâ, huic in opere; aliis in Scientiâ, huic in praxi. Placet Deum colere, sed irrideri displicet; hic lætatur impiorum fieri ludibrium: juvat breviter orare, hic precibus fatigari gaudet: quod lectio aliis & functio, huic pietatis exercitium est. surgit diluculo ad preces & sonoros hymnos, edit cum precibus & hymnis, nox etiam preces, hymnosque persoñat,

nat, ille præit, ſacra interpretatur, pietatem inculcat, & duras aures paternis monitis, ſeveris comminationibus diverberat. Tu Deus, numeraſti ſervi tui gemitus: tu audiviſti vocem, cùm toto pectore ad te clamaret: tu approbaſti zelum & fervorem, quo gloriam tuam procurabat: tu animaſti, cùm Mundum audacter irritaret: tu ſuſcepiſti, cùm ipſe ſibi renunciaret.

Infremuit inter hæc impietas, & palàm improbare ſanctiſſimos viri conatus non auſa, cepit eminus pungere, & cavilla jaculari. Heſſus ſuperſtitioſus audit, regularis, ſingularis, phantaſticus, ac, creſcente mox mendacio, Utopienſis Princeps, ſomniorum interpres, futurorum præſcius: qui familiariores amici erant, ac fratrum loco dilecti, fanatica liga, arcana conſpiratio, tenebrionum conciliabulum erant, dirisque interdum, ac intermixtim ridiculis lanceis perfodiebantur, & quò quisque mentiendo erat monſtroſior, is Heſſum propiùs tetigiſſe videbatur. Juſtiſſime Deus! tantum poſſe venales,

les, vulgaresque linguas, ut ſolida & evidens pietas hominibus non impiis, nec illiteratis fiat ſuſpecta, malitque vir bonus tenebrionis turpiſſimi lippis, quàm ſuis uti oculis! O ſuperſtitioſi ſic omnes ſimus, hoc Epicuri ſeculo! & ſub Chriſto regulares, hac licentioſâ ætate! aut pietate ſingulares in tantâ improborum colluvie! aut in ſpiritualibus phantaſtici hoc corporeo & craſſo tempore! O amemus ut ille, & abjectis titulorum criſtis honorumque tumore fratres (quid rides, Mome?) audiamus, conſpiremus in Chriſti ſervitio, Mundi contemptu, mutuâ ædificatione, amico inter nos famulitio, & Regno non Utopienſi, ſed Chriſti hac Mundi ſenectâ propè inviſibili inſeramur, minemur impiæ terræ mala, præſagiamus heu inviti Patriæ decrementa! Sic nos viximus, &, ut rumparis, cum Dei teſtimonio ſimpliciſſimè, innocentiſſimè, jucundiſſimè: ac utinam his moribus amicum ſperare mihi porrò liceat, nõ Mundi univerſas opes præ æſtimarim!

Hacte-

Hactenus homines afflixerant, quos ille Pygmæos magnus Gigas facili motu disturbavit. Ludicra hæc erant: majus onus sancti Christoferi humeris debebatur, inusitatum scilicet pueruli pondus. Leve sit, mare habere obscurum, turbidum; balænarum rictus contemnere, nisi ille suavis pusio ad profundos usque anhelitus premeret. Degustanda erat Crucis Christi suavitas, libranda sancti ligni soliditas: & quid verbis opus est? Fides devotissimi servi, sub severiore Dei vultu examinanda. Adeste, qui Jobum vultis in Christiano theatro repræsentatum, qui Patientiam undique tentatam, nec devictam concupiscitis, qui Aurum septies probatum desideratis. At hîc calamus iterum titubat, ingenium verba negat: tota mens mea ad Urbis Tubingensis testimonium provocat.

Jobum cùm dixi, multa dixi, & intellecta volo non corporis saltem totius quinquennalia tormenta, sed & consolatores illos omnes, & totius historiæ scopum atq; nervum; nisi quòd

Hessus

Hessus impatiens nunquam visus est, nunquam de Deo suo dubius auditus, nunquam in fide vel spe vacillare deprehensus: dixisses conjurasse contra eum sanitatem ipsam, domesticorum perfidiam, malevolorũ insultus, temerariorum judicia, molliorum credulitatem, temporis diuturnitatem, amicorum etiam defatigationem. Ille decumbens sanus, in cadaveroso corpore lætus, inter sua tormenta aliorum tristitiam minuens, dum suis opprimeretur, aliorum morbos depellens, & lectuli custos, numerosam familiam coercẽs. Consolatores suos consolatos, imò stupe-& pudefactos à se semper dimisit: cùm plures hic haberet fortissimæ tolerantiæ dies, quàm illi consolatoria verba, ac majorem ferendi ipse, quàm illi inspiciendi monstraret promptitudinem.

Quídni obstupescerent, cùm homo modò non exanguis cerebroque siccus, animo indomito cum succiplenis, eloquio cum verbulorum trutinatoribus, memoriâ cum perpetuis lucubratoribus,

loribus, opum contemptu cum Regibus, abſtinentiâ cum mendicis, humilitate cum abjectiſſimo, promptitudine cum mancipio certaret, cùm libri omnes, omnes materiæ in numerato huic eſſent, & S. ſcripturæ non capita, ſed folia, & integri libri (Deum teſtor) ad unguiculum ſive Germanicè vellet, ſive Latinè recitarentur, & vivam intra ſeſe Sacri ſermonis concordantiam poſſideret? Nec ſatis erat, uni Translationi incubuiſſe, niſi & varia (ſic judicabat) ſpiritus in diverſis interpretibus dona exploraſſet, memoriæ ſuæ tam importunus exactor, quam habebat ferè ſupra humanam ſortem, & in ipſis capitis doloribus admirabilem. Audire erat cum ſtupore hominem, quantum apparebat, omnis eruditionis contemptorem, ſic per omnes eruditionis formas verſatum, ut, ubi ubi tentaretur, ei ei ſolicitè incubuiſſe videretur. Quod quantò pauciores ſciviſſe homines arbitror, quantò rariùs ille & invitus, & non niſi à familiariſſimis ad literarias diſceptationes eſt protractus, cumque

inpublico ab omni judicandi supercilio abstineret, privatus tamen inter amicos multis de rebus exactam suam non denegavit sententiam.

Nunc Amici nominandi essent, qui vel ab ipso erudiri, vel cum ipso dissertare, vel pro ipso curam habere, & miserabilem vitam lenire sunt cum profectu & voluptate soliti: à quorum tamen nominibus meritò abstineo: dum constet, ludibriorum, quæ innocentissimum pectus hactenus exercuerunt nec sanctis fortasse cineribus posthac parcent, velle esse socios. Ea namque fuit Hessianæ conversationis conditio ut cuncta quidem bona, & virtutum quasi exemplar in Hesso conspicerentur, sed cuncta mala atque odiosissima quæ non aures tantùm, sed & commoda amicorum læderent, spargerentur tantâ nonnunquam acerbitate, ut, etsi de mendacio ferè semper constabat timidiores tamen languere, impatientiores subterfugere, imprudentiores credere coegerint. Non defuerunt tamen ex omni vitæ genere haud vulgares

res, sed se lectissimi homines, qui maluerunt sinceram, certam & exploratam Hessi pietatem, virtutumque sodalitium admirari, colere, defendere, ac, quantum licuit, imitari, necessitatem sublevare, quàm ob impudentissima mendacia Christianæ charitatis, fraternique amoris debitum intermittere. Quod quâ conscientiâ, quo nimio supercilio, qua licentiosâ garrulitate benè multis displicuerit, nostrum est conticere; illorum cogitare, quî ad Dei tribunal, cùm Justus multâ cum fiduciâ in conspectu depressorum stabit, virulentam credulitatem suam levissimis rumusculis sint excusaturi.

Tandem verò humerorum lassitudinem sentire, & turbulentissimi familiæ Regiminis socios exorare cepit, in quos cùm vix quartam oneris partem declinaret, mox habuit præstitæ hactenus Patientiæ, Fortitudinis, Solicitudinis testes atque præcones: quibus si meum ego, qui sarcinarum omnium inspector dudum fui, adderem testimonium, invectiva foret hæc mea scri-

ptio, non Hessianæ mortis quotidianæ descriptio. Illis potius bene precemur, qui indefatigabili liberalitate corpus hoc divinis ferulis cicatricosum foverunt, aluerunt, leniverunt, non tam præsenti suo usu, quòd Christiani militis gloriosis conflictibus interessent, hominem nullo dubio Deo inhabitatum audirent, fideique robur in Dei fornace & mirandum illud sub flammis dulce contemplarentur; quàm futuro inviolabili fœnore, quòd servi sui favitoribus Deus fidâ promissione decrevit. Erit, opinor, ubi benefecisse Hesso, indecorum non erit; nec exagitasse, gloriosum: cùm intolerabilis ille quorundam literatorum decrescet rigor, accrescet spiritualium Christiana beneficentia.

Hessus mente semper invictus, corpus tamen, quod minoris originis, paulatim perdit, animo spirat, membris languet, & augescente spiritu caro evanescit. O indomitum venæ, arteriæ, musculi, sanguis, succus destituunt! ille viget tamen, & velut his organis nihil opus

opus ſit, animâ ſaltem vivere incipit. Iam Terra ſuum repoſcit, nec ille invidet: ſed monſtrandum eſt, quàm collabéte hoc taguriolo animus hoſpes valere poſſit. Apparet, quàm corpori iniquus fuerit, quàm animæ ſolicitus nutritor. Hæc enim nitet, illud areſcit. Cœlo jam debebatur, veluti corpore exutus, vel ſanè nihil ultrà obligatus: cùm ille exemplo probat Cœlum ubique eſſe, ubi Deus; cumque omninò ſibi deeſſe videtur, Ieſum Chriſtum, baſin & radicalem humorem, devotiſſimè invitat, cujus poſthac corpore & ſanguine paſceretur, cujus innocentiâ tegeretur, cujus veritate roboraretur, cujus imperio regeretur. O beatam ſortem, cùm homo deſinit, Deus ſuccedit; cùm Chriſtianus ſuccumbit, Chriſtus ſe ſiſtit; cùm Caro anhelat, Spiritus inſpirat! Peccatum, nihil contaminas: eſt, qui pretioſo liquore abluat. Satan, nil perſuades: eſt, qui ſacro verbo confutet. Munde, nihil imponis: eſt, qui te fraudis convincat. Mors, nihil terres: eſt, qui larvam tibi detrahat. Caro, nihil

ringeris: eſt, qui te compeſcat. Calumnia, nihil lædis: eſt, qui te vel per morientis poſtremam confeſſionem confundat. Macte Heros! Deo vicinus es, jam jam ad deſideratam Jehovæ faciem admittendus. Macte Chriſti Martyr (non ſolùm enim effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur; ſed devota quoque mentis ſervitus immaculata, quotidianum Martyrium eſt, Hieronymo teſte) meta adeſt, ubi crucem deponas, ubi ſudorem abſtergas. Macte Spiritus ſacrarium! Schola tibi aperitur, ubi vitæ librum toties exoptatum, inſpicias, perlegas, intelligas. Sic itur ad Deum per anguſta Mortis, ad auguſta Cœli; per labores carnis, ad quietem animæ; per riſus hominum ad applauſus Angelicos.

Egredere ô miſeris multum defuncta ruinis,
Egredere: & ſervis ſervilia regna relinque,
Aude hoſpes tenebris horrendi imponere finem
Exilij, & Patria ſperatas quærere ſedes

Iam

Iam ergo diſceſſum parat, non prius à Morte victus, quàm per eum, qui vita, &, cui vixiſſet hactenus, Mortis Victor, ſpicula hucusque fregit, & abſumpſit credo omnia, nec cedit Heſſus. Iam dulceſcere incipiat, & depoſitâ terriculamentorum larvâ, eam ſe mõſtret, qualis re vera Chriſtianis eſt, ſalutis januam: tum quidem exire juvat, cùm omnino carnem omnem ſubegit, & carnea hominis ſubſidia, an impedimenta mors abſtulit: quæ Heſſus nunquam ſolidè dilexit. Ipſa verò totius vitæ contubernalis, Carnis Pædagogus, Animæ Medicus, & Chriſtianiſmi nobile Myſterium ſic miteſcat, ut Heſſum blando vultu amplectatur, & non niſi per dulcem ſoporem ad Cœlicam æternam quietem invitet. Audit ille divinum nuncium, & Vale ſuis, Salve Ieſu dicto, ad ſomnum ſeſe nulli hominum depellendum pacatè componit, placidè elanguet, ſanctè obdormit.

Dies 24. Novembris erat Anni 1614 quo Heſſus Mundum immundum relinquens, Cœlum ſperatum ingreſſus

est. Utiq; multis nominibus notabilis, multis luctuosus, scilicet quo Terra hospitem, Germania sidus, Tubinga ornamentum, Principes delicium, Natura interpretem, Pietas facem, Ægri opem, Eruditio oculum, Boni speculum, Amici gemmam, Mali scopum, sed præ illis corpus Christianum membrũ nobile & notabile perdidit, vel certè tam rarum Christi depositum ita possessori reddidit, ut absentem jam magis, quàm quondam præsentem desideret, minus eo carere nunc posse sibi videatur, sed inutiliter. *Acquiescit* ille jam (quod symbolum olim erat) & *Elohim* magnificat super terminos Israëlis. Interim, quæ sua erant, libenter in hæredes dividit: Animã cœlo, Corpus Terræ, Exemplum bonis, pudorem malis, famam orbi, Testimonium posteritati reddit, commendat, relinquit. Quæ reliqua *Hessi* exuviis debebãtur, Tubinga liberaliter persolvit. [*27. Novemb. Dominica 1. Adventus.*] Supremæ laudes? fecit R. V. D. Matthias *Hafen*refferus, pius (hoc ab *Hesso* epitheton habet)

bet) & conſueto ſacro eloquio perfecit. Funeris comitatus? Confluxerunt ingenti numero omnes *Heſſianæ* innocentiæ teſtes: lacrimæ (ſi maximè ficta quædam erant) profluebant veræ, largiſſimæ. Sepultura? ea inter ſuos, ac optato loco dabatur. Epitaphium? proſtabit, ſi non in marmore, in optimorum quorumque pectore & linguis. Votum? omnes, omnes, omnes boni tacitè ſuſurrabant: *Heſſo* optimo, *Heſſo* benè meritò, *Heſſo* iniquè miſero quies, retributio, lætiſſima reſurrectio!

Ego quid? gaudeo; at cum lacrimis: gratulor; at cum gemitu, & de ſummo dolore meo lætor. Sic defleo *Heſſum* meum, quem delectat eſſe liberatum: ſic deſidero amicum meum, ut juvet eſſe ereptum: ſic perdo fratrem, ut lucratus eum mihi videar. Alios deplorare deceat: *Heſſum* applauſus ornet, & aſcendentem beatam animam jubilo proſequamur. Quid? cùm pateretur, condolere prohibuit; & liberatus ac triumphans leſſum ferat? Non neſcius ſum, quid patria, quid ego perdam: ſed

ſavere potius amiciſſimi commodis oportet, quàm computare mea damna. Hoc uni Heſſo tribuo, quòd cum damno meo rideo: malè mihi ſit, dum ipſi bene: patiar ego, dum ipſe vinculis liber emergat. O Heſſe, ſive te Patrem, ſive Fratrem, ſive Præceptorem, ſive Amicum, ſive Socium dixero tantundem eſt, & tot unus nomina apud me meruiſti, nunc tot mihi nomina imponis, quot ij habent, qui talibus orbantur. Hæcne illa dies eſt, ut ægrâ manu ad me nuper perſcripſiſti, animæ tuæ in requiem ſuam revertentis? Verè, verè reverſus es, poſtquam Satanæ malitiam, Mundi perfidiam, Carnis moleſtiam, Mortis ferociam moleſtè peragraſti. Nunc ſecurè dormis, nec metuis corporis tormenta, familiarium impoſturas, paupertatis minas, infamiæ terriculamenta, malorum dentes, ſubdolorum laqueos, ſciolorum riſus, avarorum excuſatiunculas. doleo equidem tui causâ, frater, mi Heſſe, fuiſti mihi ſupra modum jucundus, ut pluris apud me tuus eſſet, quàm muliebris amor.

Quid

Quid reddo tibi, frater mi? quî solvam debitum meum? laudem? supra encomia es. Excusem? supra accusationes es. posteritati describam? immortalis es. Quicquid ago, mea est gloriola, qui te Amicum habui, ut jam fastuosum mihi sit, *eruditißimi, invictißimi, candidißimi, religiosißimi Viri* amicitiam profiteri. Taceo ergo, &, quod in sacris fit, silentio testor stuporem, balbutie, ingenij tui infinitatem. Simul autem Deo supplex fio, ut vel mortuus tandem à livore malignorum quiescas; beatus tandem sis impiis formidabilis, triumphans sis imitatoribus tuis notabilis: denique sic ab Amico verè candideque descriptus, bonis omnibus tui memoriam desideriumque relinquas, me etiam quàm primùm inter beata Jesu Christi gaudia lætus lætum, liber liberum amplexari possis.

Vale!

MEMORIÆ TOBIÆ HESSII, U. J. DOCTORIS,

Theologi inſignis,
Medici Clariſſimi,

Viri optimi, pÿßimi, patientißimi,

AMICI.

Hippocrates vixit meus, ô meus ille Machaon,
HESSIVS, ægrotis qui fuit arte Deus.
Murmurat hîc cõtra dolor: Aut nõ debuit ille
Naſci, aut tam citò non debuit ille mori.
Sed ratio, Similis Iobo fuit HESSIVS, inſit,
Nî fortè & plures pertulit iſte cruces;
At quia virtutes conculcans degener orbis
Immeritis confert præmia, non meritis,
Exciit emeritũ Deus! & nunc civis Olympi eſt
Felix, qui infelix HESSIVS antè fuit.

Fecit Thomas Lanſius, I. C. & Profeßor in Illuſtri Collegio Ordinarius. 27. Novemb. Anno 1614.

Patien-

B. F.

PATIENTIAE, ne nescias Lector Bone,
Sacræ pietatis & eruditionis, &
Virtutis exemplari hodie deducier
Lessum fatereris, TOBIAM si intimé
Novisse & in cute voluisses HESSIVM.
Patientiam ergo quisquis ex animo colis,
Pietatis, eruditionis, & sacræ
Virtutis arsisti semel studio: accine
Huic neniam exemplari, & inde cogita,
Soli DEO vivendum in his terris, diu
Vixisse, qui vixit DEO & didicit mori.

Guilielmus Bidembach/*Amico*
b. m. mœstißimus f. f.

JOHANNIS SCHERMARII,

Jureconſ. & Patritij Ulmenſis,

Bona Memoria.

M DC XIX.

Viro Clarißimo & optimo,

CHRISTOFERO WELlingio, Juris Licent. & Advocato, &c. Cognato & fratri conjunctiss.

S. P. C.

DUM chartas meas reviso, redit in oculos panegyricus ille, quōdam viro Nobili, Joh. Schermario p. m. adornatus. Is quia, te hortante & volente, cùm undecunq; nobilissimā Elisabetham tuam b. m. duceres, scriptus est, jam patrono orbus, ad te adit, & illius temporis memoriam refricat. Nunquam

quam tamen ſatis explicabit, quo fraterno amore, candore, mutuisque officiis inter nos haud paucis annis vixerimus, quo animorum conſenſu, conſenſus conſtantiâ, conſtantiæ jucunditate, non ſatis æqua tempora perfregerimus. Sufficiat tamen tuam amicitiam, & laudatiſſimæ olim conjugis virtutes hoc qualicunque conteſtari, orare etiam Chriſtum, ut, quam tum inter nos coluimus pietatis curam, & integritatis diſciplinam, eam nullis inquinamentis mixtam, ſimplicem ſervemus & planam. Vale, perchare frater, & ſalve.

A

Tuo

Joh. Valent: Andreæ.

Johannis Schermarij Bona Memoria.

MAgna eſt urbis veſtræ Ulmenſis gloria, Magni Senatores, Cives optimi, quâ inter multas Germaniæ civitates celeberrimas, Religionis ſinceritate, Dominij amplitudine, aëris ſalubritate, ſoli fertilitate, Mercaturæ commoditate, Ædificiorum ſplendore, Murorum robore atque munitione, illa multis præ aliis eminet. At ſi cuiquam poſt Deum Opt. Max. hæc tanta felicitas, & tam florentis Reipublicæ quotidiana incrementa debentur: non profectò Fortuna eſt, cujus cæcô favore eò usque evecti eſtis, ut ex veſtro flore, Germaniæ noſtræ dignitas auguſtior appareat; nec Auri, quo abundare ſoletis, copiæ beneficium: Sed Progenitorum veſtro-

vestrorum Amplissimorum Prudentia & Fortitudo, quæ usque adeò in iis excelluerunt, ut si quis salubria ipsorum Consilia, laudabiliaque Facta enumerare posset, amplum simul jucundissimumque, tum ad eorundem Majorum vestrorum, Urbisque laudes, tum ad efformandam optimam Rempublicam, campum aperiret.

Quantò itaque majora sunt Majorũ vestrorum Merita; tantò majus oportet vestrum esse gaudium: qui harum virtutum, famæque hæredes videmini: tantò etiam nostrûm omnium, qui Vestræ Urbis felicitate, ad majorem Sveviæ, Patriæ nostræ, florem, famam, pacem fruimur, promptiores congratulationes, ut si tam digni vobis videmur, ad meritas laudes decantandas, quàm vos bonorum omnium encomiis judicamini nobis dignissimi; facilimè, vos ad accipienda, nos reddenda judicia nostra jungamur, quæ perpetuò ea erunt: *Vix quicquam eße, quod Dignitati vestræ; vix etiam, quod applausui nostro accedere poßit ampliùs.*

Urbis

Urbis ergo Vestræ, aut singulorum etiam è vobis, à celebri quodam, & eruditissimo viro, præconium expectate: ego verò, ut planè cõstaret, quàm etiam nos minimi affectum vobis nostrum aperire gestiamus, ita mecum cogitavi, si unius saltem, è tanto laudandorum numero, encomium mihi imponerem, satis futurum detegendo affectui: verùm cùm experirer, quantum ingenio meo esset, verba laudabili vitæ condigna adferre, propè erat, ut retrocederem, nisi me utrinque, hinc officiorum, quibus vobis obstrictus sum, vinculum; illinc humanitatis, qua splendorem Vestrum egregiè temperatis, allectamentum detinuissent.

Scripturus itaque ad vos de quodam Patriæ Vestræ optimo & excellentissimo Cive; etsi id nomen convenire cæteris etiam quàm plurimis scio: atque etiam hoc nomine Ulmæ congratulor: facilè tamen præsentire vos puto, vix quenquam hôc tempore esse, cui, sive annos, sive labores Patriæ impensos, sive dotium rarissimarum concursum

exami-

examinemus, à gratis civibus æterna Memoria; à bonis literis autem publicum elogium majore Merito debeatur, quàm celebri Veſtro, & verè Nobili viro, Dn. Johanni Schermario, V. I. Doctori eximio. De memoriâ quidem, quid ſperandum ei ſit; illi facilè conjiciunt, qui quo loco atque reſpectu eum habeatis, qua reverentiâ eum proſequamini, non neſciunt. Elogij verò munus, cùm meâ quidem ſententiâ inter Eruditos, ab altero alteri, tãquam quod excellens ingenium requirat, delatum ſit, ita hactenus delituit: ut, etſi tãtus vir, laudabilia potiùs agere, quàm audire laudes aſſuetus, encomia ſua, quæ plurima apud eum ſunt, modeſtiſſimè depreſſerit: illa tamen Bonorum omnium, ad ornandum eum promptitudo ſemper apparuerit; ut hic affectus apud nonnullos in veras atque meritas laudes eruperit.

Unde ego, omnium, qui de ipſo benè mereri poſſunt infimus, poſtquam ex converſatione ipſius benevolâ, & tot egregiarum virtutum aſpectu, admira-

mirationem, venerationem, & amorem ejus imbibi, ita hactenus exprimendi mei affectus cupiditate flagravi: ut posthabitâ non indignitate saltem, quâ tanto Viro indecor esse possem; sed etiam ingenij frigiditate, ausus nunc sim prodire ad decantandas viri, tantopere à me dilecti, laudes: idque coram vobis, Amplissimi, Optimique Viri, qui usque adeò in ipsius amorem accendendi non estis, ut verear, ne ego prætermittam, quæ vos in ipso magnifacitis, vel sanè barbarâ meâ linguâ cõspurcem. Cogitabitis autem, uti amori plerique succumbimus, ita me hîc, non quod Viro laudatissimo honorificum futurûm; sed quòd mentem meam, & judicium de ipso quàm maximè proditurum sit, scribere constituisse: eoq; majori confidentiâ, quòd sperem, vel nomen saltem ipsius sæpius à me repetendum, condire posse vel insulsissimam Orationem; apud eos præsertim, qui potiùs, de quo scribam, quàm quid scribam, animo reputaverint.

Optimum Civem Sapientes olim

dixe-

dixerunt, qui Patriæ Honorificus, utilis, jucundus. Utrum priùs Schermario nostro accommodabo, Senatores Amplissimi? magna ubique materiæ & exemplorum seges est. Dicam de Honorifico tamen: ubi, anne illud primum est? Eorum Parentum filium esse, qui Ulmæ nunc aliquoties centenis ab hinc annis, honorifici fuerunt: Paternorum quidem, Schermariorum; Maternorum, Rothiorum: hominum ob Patriæ amorem, plurimaque in eam collata commoda Nobilitatorum, atq; æterno Meritorum suorum Testimonio ornatorum. Scilicet ij sunt, atque inter eos sunt, per quos, & cum quibus Ulma ad tantæ famæ fastigium ascendit: ut quantum nunc natalibus suorum ornamenti confert; tantum ab Nobilissimarum aliquot Familiarum memoria honoris recipiat: cùm recordatur, quos Seniores, quos Consules, quos Senatores, exercituumque Duces inter Schermarios, Rothios, Ehingeros, Bessereros, Craftios, Lieberos, (qui Schermarij nostri Avi, Aviæque sunt)

ſunt) numerare poſſit; quot nunc aſpicere liceat; quot olim ſperare auſit. Atque inter eos honeſtiſſimo loco emicant Dn. Sebaſtianus Schermar, Senator; & Apollonia Röthin, Parentes hoc filio Iohanne felices, & Patriæ ſuæ, ſi nulla aliâ re, vel hâc unâ honorifici: quem Deus hanc lucem aſpicere voluit Anno 1525. die 11. Menſis Sept. propemodum cum Salutaris Evangelij, optimarum artium in Germaniâ, & Orbis Chriſtiani quaſi renovati exortu: ita ut, quoties intuemur ipſum, nota nobis atque ſignum eſſe poſſit Felicitatis Germanicæ, imò Chriſtianæ.

Cæterùm, ne degeneraret ipſe à tanta Parentum virtute, poſtquam veræ Pietatis, elegantiorum *Morum*, atque Avitæ *Ho*neſtatis ſemina à dilectis Genitoribus hauſit, atque etiam primùm Latinarum literarum principia: poſtea verò poli è ſcribendi, ſupputandique artem imbibit: decimo ſexto ætatis anno, fauſtis, quodque ex eventu apparuit, efficacibus ſuorum votis Patriâ egreditur: eò felicioris ingenij, exquiſitioris

tioris judicij, politiorumque morum viatico comitatus: ut, cùm primùm Augustam Vindelicorũ (tùm [*An. 1541.*] Imperialium comitiorum locum) venisset, facilè sese Inclyto Pomeraniæ Principi, Philippo, ita probârit: ut non modò tùm operâ ejus libenter utiliterque usus sit: verùm etiam secum in Pomeraniam abduxerit: primusq; monstrârit, quantum intersit inter hominem domi perpetuò molliter delitescentem, atq; eum, qui cum variis ingeniis, variisque hominum moribus conflictetur: suosq; mores ex eo, quod ubique optimum reperit, (non, ut plerique hodie, quod ubique pessimum) conformet. In Pomerania verò, quî potuit nõ esse Patriæ honorificus? dum honestissimis officiis perfunctus, ubique Dexteritatem, Fidelitatem, Diligentiam suam exhiberet? Dexteritatis testimonium id egregium est, quòd in pingendis literis Pomeranus Princeps parem non habuit: ideoque Inscriptionibus Antiquitatum effingendis eum adhibuit. Id verò nónne honorificum

Patriæ

Patriæ fuit; Civem suum esse Pietatis veræ & sinceræ, purioris Religionis, (ob cujus confessioné Majores ipsius splendidas opes amiserunt) atq; omnino virtutum omnium, quæ hanc ætatem maximè ornare possunt, nomine celebrem? Quæ omnia testari poterãt, quæ forma instituendi liberos Ulmæ probaretur; scilicet inter Bonos optimus, inter Fideles fidelissimus, inter Pudicos pudicissimus perpetuò audiebat Ulmensis noster; tanta Meliorum approbatione, Satanæ fremitu tanto; ut (ne quid de reliquis Virtutibus dicam) una Castitatis observantia per impurissimam Feminam: nõ aliter, quàm Sanctus quondam Josephus, capitis periculum incurrerit. Vicit tamen rerum omnium potentis Dei auxilium: quod uti hunc observatorem, imploratoremque habuit perpetuum, ita per mille pericula salvum, Principi suo indies magis gratum, acceptumque reddidit: indeque factum, ut cùm [*An.1543.*] ad Witebergensem Academiam, vocatum Doctorem Pomeranũ, insignem

Theologum, honorificam legationem
decerneret; hic unus, qui Legatis jun
geretur, dignus ei visus sit Arcano pro
fectò, & mirando Dei consilio: ut hi
nimirum Adolescés, (quem magnum
facturus erat) & Magni Lutheri, viri
Germaniæ & Seculi nostri gloriam n
ti, aspectu & alloquio, ad rari Zeli, fer
vidæque Pietatis imitationem; & Uni
versitatis Witebergensis flore, ad litera
rum amorem accenderetur. Tria hi
concurrunt Urbi vestræ honorific
quæ nolo aures vestras effugiant: Fuis
è plurimis hunc unum tam piæ, Rel
giosæque Legationi destinatum: V
disse Lutherum & allocutum esse: &
quídni dicamus, Benedictionem ab
lo Dei Propheta accepisse, cui non
exiguo, sed omnium maximo host
nostro, Antichristo, Triumphum lo
gè maximum debemus. In ea Legati
ne cùm penitiùs animadverteret, qu
nã ratione inservire Patriæ quàm u
lissimè posset: ad eam animum appu
suum: ad literas scilicet: eoque ardo
atque impetu, ut neque honestissi
offi

officij commoditas, neque jam maturioris ætatis Anni nimirum vigesimi primi incommoditas, absterrere eum potuerint; quin vale priori vitæ conditioni dicto, ad prima literarum initia rediret. Unde maturato studiorum cursu, ex Schola Wolgastensi ad Gymnasium Stetinense; inde ad Grypsvvaldensem Academiam ascendit, cùm viri boni tam laudabilibus ejus conatibus plurimùm faverent, eundemque & Monitis, & sumptibus egregiè juvarent.

Anné hæc ad vestræ Urbis Honorem sufficiunt, Patres amplissimi, tantum fuisse in homine etiamnum juvene de Patriâ benè merendi studium: ut ad obeunda jam dexterrimè virilia officia sufficiens, ad puerilia, sed quæ fructum uberiorem pollicerentur, redierit; indeque pauperiem, fortassis etiam infamiam tolerârit? Profectò, si quid bonæ Literæ referre gratiæ possunt, tanto Viro, pro ardore tanto, perpetuas laudes decantabunt; Urbique vestræ, quòd hunc earum cultorem ipsis ge-

nuerit, omnia gratitudinis officia cumulatissimè præstabunt.

Elapso tandem decennio, & honestissimè à Pomerano Principe dimissus, & novæ legationis in itinere obeūdæ, honore auctus, atque (quod ipsi inprimis jucundissimum erat) bonis literis haud leviter imbutus, Patriam repetit, ubi aliquis è Patriæ civibus his excipere verbis Redeuntem potuit: *Gaude, Patria, de hoc reditu: libenter horum annorum rationes excipe: secus ille, quàm alij, redit, non turpiter profuso Patrimonio; sed aucto: non Pietate perdita; sed aucta: non Artibus minor; sed auctus: & jam novus, insperatusque Musarum Alumnus redit. Gaudete Parentes, qui Filium recipitis, quem alij Parentes, Filiis emittendis, tanquam speculum & singulare exemplum proponant. Gaudete, Amici, qui ex tanto ardoris specimine conijcere potestis, quid sperandum de eo sit, ubi ad Patriæ curam se aliquando contulerit.*

Verùm neque sic satisfactum Patriæ, nondum Parentum gaudium plenum,

non-

nondum Amicorum expectationem ſatis magnam credidit: Sed Ulmâ ſecundùm egrediens Witebergam repetit: qua poſt biennium Caroli V. Imperatoris, & Germanorum aliquot Principum bellis, (cùm jam usque adeò periculo proximus eſſet, ut ſclopeti glans, conclave ejus, eo loci, ubi ſedere ſolebat, penetraret) propemodum cũ ipſis bonis Literis pulſus, tertio itinere Italiam cogitat, ob Jurisprudentiæ ſtudium, toto orbe, eo tempore celebrem. Paduam itaqúe ingreditur; ibidemq́ue inter illius Seculi Doctiſſimos, & Literarum veluti lumina, per integrum biennium verſatur: converſatur cum iis, atque præter Latinam, etiam Italicam linguam, magis, quàm vernaculam, familiarem ſibi facit, eo uſu, ut interpres haud rarò in graviſſimis negotiis adhibitus fuerit. Quid verò? anné in Pontificis Regno, de Religionis fervore remiſit? anné coram Septicipiti Beſtia ſeſe inclinavit? Abſit tantum Nefas ab hoc religioſo pectore: cui ob conſpectam Idololatriam Pontificiam, tam

Gentilismi æmula Religio omnibus modis sorduit: cui ad convincendos Sectatores ejus, frequentia Scelera, tot argumenta & materiam suppeditârunt, ut masculè Pontificem rideret, atque ita eum detegeret, ut à quodam, qui hinc meliùs edoctus, maluit tamen animá, quàm opes perdere, Conscientię stimuli horrbilies pœnas sumserint.

Cùm Paduæ eum cepisset fastidium, Senas secedit, aliam Italiæ Celebrem Academiam: verùm Florentini Principis, vel Cæsaris potiùs armis, & obsidione terrefactus, magnâ ibi existente annonæ penuriâ, properè hinc aufugit, Romamque petit, Mundi aliquando, nunc scelerum caput: ubi per integrum Quadragesimale tempus commoratus, viso abominationum, Idololatriarumque complemento, ipsoque iniquitatis Principe, Julio tertio Papa: viso, quàm Romæ, venalia sint omnia, omnia liceant; viso Reliquiarũ horrendo cultu: sed visis etiam Splendidissimis Structuris, & maximæ quõdam Vrbis ruderibus, instructione ad

Prudétiam; sed Papæ odio plenus Perusiam proficiscitur, iterumque Eruditioni aliquid addit: deniq; (*An. 1555. mensé Iunio*] Ferrariam : ubi post novem annorũ, (intra quos linguas aliquot, Philosophiam, & Jurisprudentiã hausit) studia assidua, tantis laboribus ac diligentiâ, & rarissimi conatus exemplo, præmium accipit condignum, Doctoris in utroque Jure Insignia; quibus tanquam Trophæo quodam, lætus, atque ovans, Patriam utili ipsi Itinere repetit: Patriam Civem & Filium suum ob tanti Tituli famam desiderantem, advenienti acclamantem, ingredientem suaviter excipiẽtem: in qua tamen nondum sibi omnino quiescendum, vel Patriæ curam suscipiendam duxit, quam hæc studia sua, & Juris egregiam scientiam, Praxeos quoque exercitio consolidâsset. Quo fine primùm [*Ann. 1556.*] Eslingæ (ob pestem exulanti) postea Spiræ, Imperiali Cameræ eò usque adfuit, dum Patriæ honorificum simul, utilem, & jucundũ reditum suum fore credidit.

Reduxi vobis, Patres, Schermarium veſtrum, ſalvum, vegetum florentem, etiam Doctorem. Cui omnis penè ætas inter Peregrinos inſumpta; ſed ita inſumpta eſt: ut ſi annos numeremus, diu abſuiſſe; ſin cum Eruditione conferamus, non æquè diu, pro tanto Titulo, Sapientia, Prudentia, Experientia tanta, aliquotque linguarum cognitione; & tam prolixa rerum viſarum relatione, peregrinatum fuiſſe, meritò dicẽdum ſit. Mirus itaque, & auxilij Divini plenus hic Reditus eſt ſive tam inſperatos Progreſſus; ſive quòd Deus huic Urbi, cum egregio & celebrando Viro conſultum voluit; ſive etiam pericula, à quibus petitus, verùm intactus, eò usque permanſit; inſpiciamus. Dicam, quod gloriam Dei augeat, auxilijque illius admirationem excitet. Novies vitæ periculum incurrit, atque Mortem præ oculis habuit: ſemel cum ſcapham imprudenter ingreſſus eſſet, quæ ventorum vi, in Oceanum abripiebatur: deinde Rhedæ periculoſiſſima ruina: tùm nequam hominis lethali in caput ictu:

ictu: postea impurissimæ Adulteræ falsa delatione : *Magi* frustrà tentata incantatione : Senæ item Urbis ancipiti obsidione : sclopeti per hypocaustum jactu: prædonis in sylva incursu; & equi cum ipso, cœnoso in loco, quàm proxima submersione. Quæ cuncta si prolixiùs à me recitarentur, stuporem vobis, horroremque facere possent, videntibus hominem toties *Morti* proximum; toties *Mortis* faucibus apprehensum; toties à Deo mirabiliter fuisse ereptum. Scilicet quem Deus *Majestatis* suæ Præconem esse voluit, eum pluribus, atque maximis periculis immersum, rursumque extractum, nunquam de Divinâ ope desperare, nunquam non à Deo auxilium expectare docuit. Itaque si ad vos rediit Eruditus : honor Urbis vestræ est, tales emisisse, qui nihil non ferventi diligentiâ impetrare potuerint. Si rediit Prudens: honor Urbis vestræ est, tales emisisse, qui hominum mores, terrarumque consuetudines, non lippis, sed vigilantibus oculis inspexerint. Si ad vos rediit magnaliū

D[illegible] præco: honor Vrbis vestræ est, tales [illegible]misisse, qui Deum à primo statim egressu, comitem, ductorem, atque reductorem habuerint, quosque ita vobis reddiderit, ut veluti felices Mercatores, non gemmis, aromatibus, variisque mercibus, sed Prudétiâ, Sapientiâ, Eruditione, Rerum usu, atq; universo Virtutum circulo aucti redierint: sicque ex Sapientum multitudine salus Vrbis vestræ, Fama, Gloria, Felicitas crescat, augeatur, floreat.

Honori Vrbis vestræ satisfeci, Amplissimi Viri, Cives optimi: nunc, quàm uti[illegible]s ei fuerit, quàm etiamnum sit Schermarius, dicendum est. Non illud jam extollam, quòd posteaquam Nobilem, & Christianam Matronam, Elisabetham Clameram, Egregij quondam & Nobilis Viri, D. Petri Oberburgeri, f.r. viduam laudatissimam, Matrimonij sacrato vinculo sibi jũxisset, cum eâ per 40. integros annos, ita vixerit, ita suaviter vixerit; ut neque Conjunx Maritum sibi conjunctiorem, neque Liberi Patrem liberaliorem, neque Ci-

ves

ves vicinum civiliorem, neque Famuli Herum magis familiarem exoptare sibi potuerint. Valuis ædium inscribi meritò potuisset: *Concordia, Religio, Honestas hìc habitāt: nihil Mali intret.* Quod utinā fœcundius fuisset Matrimonium, meritò Vrbs vestra de tam honestæ, Christianæque educationis fructu gauderet! Etsi non omninò sterile fuit, uno filiolo Johanne post 15. ætatis Mensem Cœlestibus choris addito: institutionis vero atque educationis cura in privignas duas, Elisabetham, b. rec. & Sabinam, usque adeò feliciter redundante: ut illam D. Paulo Schermario, hujus nostri Fratri dilectissimo, hāc D. Paulo Rothio Senatori, duobus honoratissimis Patriciis, jā in Christo placidè quiescentibus, nuptas, Vrbs vestra, ob raras animi dotes, Religionis amorem, Castitatis observantiam, reiq; domesticæ gerēdæ excellentem scientiā, admirata semper sit, & Sabinam adhuc, (utinā quàm diutissimè!) superstitem, Matrimonialium Virtutum exemplar, etiamnum admiretur, suspiciat, amet,

tantundemque expectet à Posteris: illinc D. Johanne Schermario, Senatore Nobili, multaque prole felice: hinc D. Paulo, Jurisconsulto, D. Johanne Politico, D. Johanne Leone, Theologo, fratribus Rothiis: & eorundem sorore Elisabetha, nuper [*An. 1609. 29. Augu.*] D. Christophoro Wellingio, LL. Licentiato excellentiss. felicibus auspiciis desponsata: Optetq; ut Paternarum Maternarum, Avitarumq; virtutũ succus, veluti ab Nobilissima stirpe in hos ramos sese diffundat, & florentem, viridantemque hanc arborem perpetuò faciat, Publico bono, atque gaudio.

Magna profectò hæc Urbis vestræ utilitas est, atque omnino ea, cui Politiæ incolumitas innititur: à Bonis scilicet Bonos nasci. Nunc Labores etiam addo, Reipublicæ ut fideliter, ita salubriter impensos. Advocatus in Urbe vestra ultra L. annos est: [*ab An. 1558.*] qua una voce simul complector Consilia innumerabilia, Commissiones multas atque arduas, Malorum accusationes, Bonorum defensiones, Juris æ-

quissimas interpretationes, cunctaq; ea, quæ Civis optimus, Patronus optimus, sed imprimis Christianus optimus pro Religionis & Reip. Christianæ emolumento agere potest, egit atque peregit, ut Gloria Dei, Salus Patriæ, Utilitas Proximi, Honestas Familiæ, supremæ ei semper Leges fuerint. Unde mirum non est, tam Religiosi & Prudentis Viri Consilia, felicissimos fuisse à Deo eventus secutos; tam conscientiosi Jurisperiti exemplum, magnam Justitiæ conciliasse autoritatem; tàm egregij Patris familiâs imitationem multos tetigisse.

Hunc itaque Patriæ suæ verè utilem dicamus, qui Religioni prodest, qui Reipublicæ prodest, qui Oeconomiæ prodest: atque ita labores suos impendit, ut singuli status Civilis societatis habeant, cur obstrictos se uni fateantur, quem longævum optent, quem post mortem desiderent: Ecclesia Fidelem dicat, Politia Laboriosum, Oeconomia Beneficum, Uxor suavem, Filiæ

optimè meritum, Cives amicum, Pauperes liberalem.

Tempero mihi hîc ab ampliori laude, qui Modeſtiam ejus notam habeo, tacitoque voto ea, quæ adhuc multa peracturus eſt, laudabilia proſequor: Ita ſcilicet vivit, ut vita ipſius univerſa, & vitæ dies ſinguli Vrbis veſtræ laus ſint: itaque eò plures optandi, quò laudum veſtrarum incrementa cupidioribus votis exoptamus.

Sed ad Iucundum tandem perveniamus: quod ſanè in eo usq; adeò conſpicuum eſt, ut jucundam quoq; Orationem meritò exigat. Non repetã hîc Iuventutis florem, non maturioris ætatis robur, non Senectutis hilaritatem: Quæ cuncta vel à Parentibus Veſtris vobis decantata ſunt, vel à vobis ipſis ante-hac viſa. Vnam ejus, qua nũc Dei raro beneficio fruitur, decrepitam ætatem ſuſpiciamus, Ætatem, quæ poſt 84. annum, vix ullis morbis obnoxia, nullo baculo indigens, à nulla eum impedit Vitæ commoditate; Ætatem illam vegetam, quã ante paucas ſeptimanas

Wel-

Wellingianis Nuptiis, omnibus hilaritatis, gaudiorumque generibus, omniũ cum admiratione, perfunctus est. Senectutem ipsam morbum alij dicunt: huic ea usque adeò molesta non est, ut præter unũ Auditus sensum (qui paulò hebetior) nullum reliquorum ei labefactârit: *Memoria* verò, atque Iudicium, tum Conversationis jucunditas usque adeò in eo excellentia sunt, ut quibus Senum morositas nota est, hîc habeant, quod meritò mirẽtur & amẽt, utque conversari cum eo perpetuò cupiant. Audias hic præteriti temporis, penè dixerim seculi, Acta tum publica, tum privata: audias vitæ ipsius curriculum imprimis memorabile: audias Civitatis Ulmensis *Majorũ* series ipsi cognitas. Scilicet is unus nunc Ulmæ superest, qui veluti Ianus quidã in alterã quasi periodum introspiciat: qui cum Patribus, Avis, atq; Proavis vestris conversatus sit, eorumque Amicus fuerit. Quid potest obsecrò, magis jucundum vobis esse, quàm *Majorum* vestrorum veluti Chronicon inter vos vivum

& ve-

& vegetum ambulare? Gaudet sanè Vlma vestra, cùm sanum adhuc vividumque eum intuetur, qui aliquot eius vicissitudines vidit: Gaudet Senatus vester inclytus, superesse eum, qui aliquot mille prudentissimis Patriæ Cōsiliis adfuit: Gaudent Cives universi, prælucere sibi adhuc eam facem, quæ ad humanitatem & probitatem maximè hucusque dux fuit: Gaudent Propinqui de tam honorifico consanguineo: Filia gaudet de tam suavi bonoque Patre: Gaudent Nepotes de indulgentissimo & liberalissimo Avo: Omnes verò, etiam Peregrini alloquio ipsius & conversatione gaudent: semperque aliquid ab eo referunt, quod æternam Senis optimi, jucundissimi, religiosissimi, eis memoriam relinquat.

Ejus itaque & Ego Virtutibus præstantissimis accensus, cùm nescirem aliter affectum meum, & quo loco tam rarum humanæ modestiæ exemplum haberem, aperire; atque vererer, ne molestum ei esset, sese à me, minùs ad eam rem idoneo laudari; Laudes ipsius

cum

cum vestræ Vrbis, Majorumque vestrorum laudibus ita conjunxi: ut ab eo illi, illis, vobisque; ab illa, illis, atque vobis, nonnihil gloriæ, famæque accedere possit: nobis verò, qui Vrbem vestram suspicimus, hoc uno exemplo constet, quos Viros olim Vlma genuerit, quos adhuc nutriat, qualesque sperare in posterum ausit.

Schermario verò, Viro Patriæ suæ Honorifico, Vtili, Jucundo, ita nunc valedictum velim, ut cùm sperem, atque etiam optem, multos ei adhuc honestiss. Christianiss. & Laudatissimæ vitæ annos, Dei clementiâ addendos; minimè dubitem, multa adhuc ante beatum è vitâ exitum ab ipso peragenda laudabiliter, quæ novum præconem, sed me disertiorem, expetitura sint. Interea si quid mea Tenuitas famæ ipsius apud Ignotos conferre potest: ingenuè fateor, nunquam me libentiùs, promptiusque ad ullius hominis laudes descendisse.

Vobis verò, Senatores nobilissimi, qui hæc omnia, & ampliora etiam nota, pe-

ta, penitusque perſpecta habetis, unum hoc à me præſtitum credite: quòd cùm ſciam, non tàm gratam vobis eſſe Viri optimi inter vos cõverſationem; quàm futuram poſthac fore memoriam ejus gratiſſimam: ego verò & me & ſtudia, atque omnino mea omnia probare vobis cupiam: id mihi elegerim, quod ſcivi vobis fore gratiſſimum atque jucundiſſimum.

Illud nunc ad extremum voveo atque opto: *Floreat Vrbs veſtra, ſuisq; Patriæ amantiſsimis Senatoribus æviternùm gaudeat; talesq; ſemper gignat, quos Eruditorum Scripta Poſteritati commendent, Viros Sapientiſsimos, Prudentiſsimos, Integerrimos, Optimos!*

EPI-

EPIGRAMMA.

AD

JOAN. VALENTINUM ANDREÆ, PRÆCONEM Optimum maximeq; induſtrium Nobiliſſimi & ſingularis Exempli Viri, DN. JOANNIS SCHERMARII, Senis longævi ſummè obſervandi, omniquelaude & memoriâ digniſſimi.

SCHERMARII à primo qui ducis limine Vitam,
Atq; ſepulta quaſi Geſta priora refers:
Quod dignum tantâ Pretium pietate mereris,
Qua, ſuper-ut-vivat poſt quoq; Fata, facis?
Vivere dignus eris tam longùm, quàm modò longùm
Schermarius vixit, vivere & hinc poterit.

Ergo

Ergo Senex vivat vel longos Neſtoris annos;
Tempora vel ſuperet Mathuſalæa, precor.
Quò tibi, quò multis, quò toti commodet ULMÆ, *&*
Sit Pater ELISÆ CHRISTOPHORIQUE *diu.*
Sic illum grata memorabunt voce nepotes,
Dum Virtutis honos, dum Pietatis erit.

Henricus Wellingius, Linguarum in Tubingenſi Academia Profeſſor.

INCENDII
VAIHINGENSIS

Prioris

Ad Calendas Novembris Anni 1617.
ſævientis per 10. *horas*

brevis & vera recitatio.

ſanCtorVM Veſperâ arDet VaIhInga.

Reverendo & Clariſſimo Viro, Dn.

MELIORI SCIPIONI BENGELIO, Eccleſiæ Vaihingenſis Paſtori & vicinitatis Inſpectori vigilantiſſimo, Domino & compatri ſuo obſervando,

S. P. C.

NOctem illã, quam perpeſſi ſumus luctuoſiſſimam, tibi reddo, Reverende vir, non ut dolorem, quem maximum habuimus, renovem; ſed ut aliquando conſtet, quæ triſtis Eccleſiæ facies fuerit, cui jam aliquot annorum vigilias, labores, monita, maximè vero etiam preces impenderis: ſimul etiam conſenſum & con-

& concordiam noſtram conteſter, quam in Deo, & Religionis ſinceræ curâ concepimus; Tu maximis meritis & beneficiis huc usq; foviſti, ego perenni elogio firmatam, & honoratam volo. Ita Deus porrò ſacris plantationibus tuis benedicat, ut in pietatis & probitatis florem & fructus feliciter excreſcant. Vale in Chriſto, Reverende D. Compater, & affectum planè paternum continua.

1. Januar. Anno 1619.

T. R.

deditiſſimus,

Joh. Valent. Andreæ.

INcendium horribile, quod Deus Zelotes peccatis hominum irritatus, *Vaihingæ*, urbi ex præcipuis Wirtembergicæ, ad Entiũ amnem: intra Pforzhæmum & Bietichæmum, loco fertili & specioso sitæ, nullo dubio immisit jam multorum aures circumcirca haud æquabili famâ adimplevit. Nam & majus multis, & minus quamplurimis acceptum, tum figmentis mixtum: prout in homines credulos incidit, ita habitum est atque servatum. Ego verò, quòd rebus singulis, ac minutissimis propè, præsens spectator, ac pars qualiscunq; adfuissem, amicis id concedendum putavi, ut veram rei luctuosissimæ recitationem quantumvis perbrevem à me acciperent. Cujus si is erit usus, ut ad præsens quidem commiserationem bonorum excitet: ad posteros verò virgæ divinæ memoriam Christianam transmittat, sat est; & ingeniosis materia relicta, ut, quod hîc trepido etiamnum & tumultuante stilo est deproperatum

ratum, ipſi per otium ac extra periculum in rei ſive publicæ ſive literariæ uſum perpoliant. Cæterùm tragœdia noſtra ſic ſe habet.

Primâ Novembris, quæ *Omnibus Sanctis* veterũ inſtituto ſacra, anno poſt admirabilem Virginis partum milleſimo ſexcẽteſimo decimo ſeptimo, cùm illuſtri mandato Cives Vaihingenſes ſolenni Jubilæo, ob centenos renati per D. Lutherum Evangelij annos, inſtituto, ſeſe apparaſſent, & ſacræ Synaxeos velut Candidati bis centum quadraginta quinque ſe Eccleſiæ religioſâ conſvetudine exhibuiſſent, horâ inter octavam & nonam veſpertinam mediâ viſa eſt flamma ex ædibus Joannis Kieſeri, Oeconomi Illingenſis, quas genero Conrado Machtolfo inhabitandas conceſſerat, erumpere, cujus culpâ incertum, accenſa. Eæ, ut erant frumento plenæ; ita facilè igni incrementum & violentiam dabant, proximis terrorem, quòd inter vicinas eſſent mediæ. Arſerant illæ quondam anno 1607. ſed ſine majore damno; &

ab illo incendio novæ omnino è fundamentis ſtabant:at jam, fatali forſan civium ſomnolentiâ,tardiùs & conclamatum,& campanâ periculi indicium datum eſt. Interea è ſpeculâ, quantumvis æquo tardiùs,bombardæ diſploſione vicini advocantur; cui Aſperga magno fragore reſpondet, ac mox omnes campanæ majoris templi lamentabile quid reſonant. At jam flamma eheu immane invaluerat, & vicinas utrimque invaſerat, hinc Aurelij Rhatgebi nuper vitâ functi judicis; illinc Michaëlis Hemmingeri, viri Conſularis, ſplendidas & multâ fruge refertas ædes; quas tamen, ſi minus vini, plus ordinis fuiſſet, ac commune auxilium acceſſiſſet, ſervari potuiſſe, opinio eſt. Cæterùm, quòd in tanto incendio rebus ſuis quisque conſultum vellet, & in exportandis ſupellectilibus ſinguli propè occuparentur, tum muliercularum & imbellis ætatis clamores & diffugia undique turbarent; factum eſt, ut dicto citiùs alia circùm loca malum occupârit. Sæviit ergo jam non inter conti-

guas

guas tantùm domos; ſed quòd in angu-
lo ad duarum platearum interſectio-
nem vis ignis imperaret, plateas trans-
greſſa, undique propinquiora ædificia
involavit. Nec ſatis miſeriarum fuit,
niſi etiam adversâ fronte, veluti malo-
rum centrum, totam circumferentiam
aggrederetur. Tum ſupra omnia infe-
licia ventus, ſive turbo veriùs, ſubitò
exortus, favillarum imbre diſperſo, pa-
lam univerſo oppido interitum eſt in-
terminatus. Ita, properante incendio,
hac Sebaſtiani Sieskindi pharmacopo-
læ, Johannis Machtolfi jam emortui,
Johannis Bulij Conſulis, ejusque filij
cognominis, Philippi Langij Conſula-
ris, Hieronymi Hechti; illac Herrenal-
benſis Cœnobij granariũ, Iacobi Wil-
lij dudum defuncti integra villa: antè,
Matthiæ Stœderi diviſæ cum Laurentij
quondam Finckij, *Michaëlis* Benderi
Præfectorij viri, binæ, Heinrici Weiſſe-
ri, dum viveret, urbis ſcribæ; juxtà Io-
hannis Rappi, *Michaëlis* Haſi requie-
ſcentis, Tobiæ Brackenhæmeri urbis
Præfecti: retrò urbis promptuarium,

& quàm plurima horrea; tum ad mu-
rum ſpatioſiſſima Principis noſtri gra-
naria, vinaria, torcularia, quæ Comitum
olim Vaihingenſium vetuſta & peram-
pla ſedes erat. Omnia hæc opere &
pretio magis conſpicua, præter miſe-
ſerandum numerum intermixtarum
minorum ædium, ignis involvit, ſe-
peliit, depavit, lamentabili utique
ſpectaculo, cùm deſperato ſuccurſu, ac
interdum vix aquæ ſitulâ effusâ, ſalvis
ſaltem corporibus, omnia flammæ li-
bidini relinquerentur. Videre erat,
quæ paulò antè profugis, velut aſyla, e-
rant, & variarum ſarcinarum, tum cu-
narum & ejulantium puſionum rece-
ptacula, intra pauciſſima momenta
horrendo impetu invadi, & trepidan-
tem turbam loco pelli. Ecqua, Deus
bone! matrum bajulatio? quæ patrum
in extrudendis liberis feſtinatio? quis
tam immaturæ ætatis ſtupor? quod di-
ſcurrentium in tenebris chaos? Enituit
tamen inter hos promiſcuæ fugæ erro-
res nobilis viri, Franciſci-Ludovici
Zornij Bulachienſis, urbem gubernan-
tis,

tis, humanitas, qui haud ſatis ipſe extra periculum, tamen quòd ſublimiori vertice illuſtrem arcem inhabitaret, ad ſe, veluti exulem, ſuſcepit puellorum puellarumque multitudinem, & integrâ nocte parentes ſecuriores fecit atque reſtinctioni expeditiores. Nam & medium noctis jam præterierat, & dies albeſcebat, cùm nondum ſpes ulla ſalutis appareret. Accurſum eſt, campanis flebiliter reſonantibus, innumero propè numero; & flamma aliquot perticas alta, qua cœlum ingenti in orbem ſpatio rubebat ardebatque, vel remotiſſimos acciverat. Obſervati ſunt Eſſelingenſes, Freudenſtadiani, Palatini, ac nõnulli alij ultra ſex milliaria hinc poſiti. Aquæ tantum effuſum, quantum rivo fortaſſe ſufficeret; cùm eam ab Entio amne præ cæteris Iodocus *Machtolfus*, & Iohannes Ulricus Bengelius per quinque aut ſex depromentium ſeries derivarent. Nec tamen ea cuncta, ad cohibendam ignis violentiam, ſufficere videbantur. Itaque, quidquid ædiũ ſuperfuit, evacuari cœptæ; impleri Ec-

clesia Deiparæ Virgini ſacra, vaſtum, nec indecorum opus, & nuperâ civium liberalitate Organo & ſacris picturis ſpectabile. Ac tanta fuit infinitarum ſupellectilium comportatio, ut, qui priores advenerint, aut medium occuparint, exitu planè ſint intercluſi. At mox terror huic, veluti ſacræ anchoræ, admotus; quæ quamvis ex ſolido lapide usque ad tecta aſſurgeret, tamen ex horreorum vicinitate (quo jam ignis appropinquaverat) omnis fiducia abſcindebatur. Unde plurimorum tumultuariæ exportationes ſecutæ, & fuga in collem, cui arx inſidet, quæſita, majoréne confuſione, an trepidatione incertum. Ac ſanè jam præ oculis, prudentiſſimo cuique univerſi oppidi buſtum erat: quem metum non tam turbinis impulſus & flammæ vaſtitas, ejusdemq́ue ex tot pabulis perpetuum alimentum, quàm civium conſternatio, & auxiliantium inter calores & frigora fatigatio cunctis propè excitaverat, cùm Deus potentiæ ſuæ & ſapientiæ illuſtre ſpecimen, ſolitâ miſericor-

diâ,

liâ, edidit. Martinus Epplinus, vir quondam Consularis, ædes suas, quas in foro sumptuosas possidebat, anno 1570. incendio cum aliquibus aliis perdiderat. Eas cùm restauraret, periculi memor, muro è puro lapide ad tegulas usque, sufficiente densitate vestiit, cum dicterio; *Velle, si posthac ignis accedat, civibus, ne pergat, cavere.* Id sive ominosum fuit, sive gloriosulum, salubre equidem nunc fuit. Nam cùm jam vicinæ ædes omnes corruissent, & horreum planè contiguum conflagraret, Melchior Wildius, Iuris Candidatus, has jam suas ædes imperterrito animo defendere aggressus, vix tandem incredibili subsidio effecit, ut superari posse tam invictus hostis videri cæperit. Unde animati auxiliares, in mediis flammis Vulcanum haud profligavére quidem, sed fregere aliquantum, & muri robur ivere adjutum: unde post diuturnum conflictum, horreum concidit, & spes aliqua victoriæ hac parte obtinendæ effulsit. Alterâ parte granarium (sub quo & cella) servandis sacris

reditibus destinata, ignem conceperat: ac jam, quotquot subsidio advolarant, intolerabili ardore abegerat. Sed cùm & ad hoc servandum aliquot cordati se denuò animassent, ac minores aliquot ædes, paratis ad id uncis ferreis, deijcerentur, permisit utique Deus hic quoque miseriarum finem emergere. Exinde Schola Germanæ pueritiæ dedicata faciliùs, nec tamen sine miraculo, opinor, liberata. Nam cùm & planè negligeretur, & ignis utrumque latus assiduè feriret, tum magno nisu hominum equorumque esset solo æquanda, nec igni, nec ferro cessit: indeque ad se paucissimos aliquos (in quibus Bernhardus Engelhardus haud est reticendus) ad se provocavit, ac post exiguum tempus salutem impetravit. Voluit nempe Deus & pædagogiæ Christianæ utrasque palæstras, & Sacrosancti Verbi auditoria, tum, qui sacris ministrarent, habitationes, cùm scintillis undique conspergerentur, nec esset, qui aquâ perlueret, solidas: ut constaret, nõdum Religioni, sed improbitati bellũ

è cœlis

è cœlis indictum. Ultimus conflictus & vehementissimus commissus est ex Michaëlis Beurlini, Bartholomæi Gebelini, & Andreæ Schmidij ædibus contra adversas Rudolfi Hamani, & Iohannis Wildij Chirurgi binas, igneas planè domos: quæ, quia in angiporto ad viarum crucem sese invicem respiciebant, & flammam, velut in punctum, coarctabant, de summâ rei & oppidi reliquâ salute cõcertare jubebant. Nam aut hic terminandus erat ignis, aut nunquam, publico consensu: quòd aliam quasi urbem, nisi reprimeretur, hic esset aggressurus. Hic templo supremum periculum instabat, hic propinquioribus amplissimis ædibus: inde curiæ: & quid opus tam horribilem aliam incendij seriem animo complecti? Adfuit enim Deus concurrentibus, conclamantibus, collaborantibus, anhelantibus, & post satis diuturnam moram, quam Chirurgi ædes tum planè recentes, tum adusto vino variisque unguentis & oleis delibutæ faciebant, tandem, ah! tandem respirare, & gra-

tas ad Cœlos manus, quantumvis inter prunas & meros clibanos, attollere permisit. Audiebatur inter hæc quinta matutini hora, quæ à nonâ noctis quo horrore expectata, qua tarditate venerit, nemo quærat, nisi lacrimas velit; nemo sibi quidquam animo concipiat, nisi quod humanam propè tolerantiam excedit. Eheu! quot ædibus interea vicinitas nocuit? quas flammæ ab importuno vento delatæ amplectentes, ægrè, nec unquam absque insigni damno, dimittebant? Quot parietes perforati? tecta effracta? fenestræ comminutæ? januæ & valvæ ambustæ? Iam fastigia ædium ardebant, jam trabes: jam conclavia ipsa accensa perlucebāt: jam mediæ domus ignibus occupatæ. Quæ singula magnam multitudinem fatigare potuissent, in hoc miseriarum cumulo neglectui planè habita sunt, & suis domesticis derelicta, quorum indefesso labore longa domorum series, ac è præcipuis Erasmi Kellini, magni operis Hospitale, Andreæ Schmidij, Andreæ Machtolfi, Christoferi Mach-

tolfi

tolfi dudum vitâ functi splendidissimæ ædes servatæ, ac urbis reliquæ parti, cujus interitus cum his inseparabilis erat, integritas retenta. Perierunt omnino sexaginta & una domus, horrea triginta tria, quæ in favillas penitus redacta: stabula absumpta novem, & confracta ædificia octo. Sunt tamen, qui 116. tecta usitato more numerent. Supellectilium haud æqualis fuit perditio. Nam ut aliqui propè nudi sunt expulsi: ita multi res suas ferè omnes extulére: vini tamen, ubi minùs solicitè obstruere cellas licebat, tantum deperditum, ut octingentis quadraginta sex doliis sive amphoris sit æstimatum. Auri & argenti haud modicum sive obrutum, sive subductum. Id verò quantæ benignitatis Divinæ habendum, neminem graviter, ne dum cum vitæ periculo læsum, unum saltem & alterum leviter vulneratum esse, idque obstructis passim vicis, & ignitis trabibus, præter tegularum disjectiones quaqua dispersis. Unus Georgius Seulustus, homo septuagenarius, cùm hactenus ægrè

animam traxisset, proximo jam igne e-
repere cœpit, ac repertus, extra urbem
est deportatus: unde cùm domum esset
relatus, quinto pòst die sive morbo si-
ve terrore, ad Deum emigravit. Puer-
peræ perpaucæ, ac quædam unius diei
fugâ salutem invenerunt: peperit &
immaturum fœtum gravida; sed vivũ,
& Christo initiatum. Nec ultrà in ho-
mines hoc immane incendium sæviit;
nisi quod ejulatibus & publico luctu
omnia personarent. Nam qui planctus
præsentis periculi magnitudine hacte-
nus cohibitus erat, is jam palàm erum-
pebat, cùm ingens multitudo alienas
ædes immigraret, suis amarum vale di-
ceret. Ac molestâ recitatione laborum,
quos pro domiciliis, lectulis, vasis quō-
dam supportassent, reminiscebantur,
quotquot in tenui sorte hoc qualecun-
que vitæ subsidium magno constiterat.
Interea Sol diu desideratus rogos no-
stros subtristis intuitus erat, cùm Magi-
stratus urbis convocatis, qui accurris-
sent, humaniter pro pietate gratias e-
git, & pane vinoq; refectos, quos pro-
cul

cul venisse constabat, dimisit, propinquiores ad restinguendos etiamnum ardentes focos exoravit, quibus integra dies ita est absumpta, ut vix operæ laborumque pretium apparuerit. Hinc excubiæ constitutæ, quibus favillarum acervi curæ essent, & à vicinis oppidis ac Maulbronnensi Cœnobio homines cum carris submissi, quorum ministerio titiones urbe efferrentur. Adapertæ sunt eâ die nonnullæ cellæ, & vini etiamnum ferventis haud modicum, ac supellectilium non contemnendus numerus ereptus. Sed & vasa ex variis metallis, tum moneta multa jam in massas liquefacta eruta. Cæterùm ubi caloris impatientia fossores non admittebat, cumulabātur identidem damna. Nam, doliorum circulis ex ardore dissilientibus, vinum effluebat, eâ interdum copiâ, ut ad duos pedes cellæ implerentur, cujus nonnihil est exhaustum. Neq; etiam interea remisit ventorum vehementia, qui per hos dies insoliti planè & furiosi perflavére, & latentem sub cineribus ignem formi-

dabili ſanè ſpectaculo per rudera & integras etiamnum ædes diſpersére. Vnde major vigilum ſolicitudo; minor civibus quies, & in illæſis habitationibus ſecuritas. Ac pauci ejus erant audaciæ, ut res ſuas hinc inde per compita & hortos diſperſas ad ſe reciperent: quæ mora multis perditæ malitiæ hominibus anſam dedit, alienas res cõtrectandi ſimul & ſubtrahendi. Poſtera dies, ut & ſequentes, purgandis plateis & complanandis ruinis datæ: tum ſubmiſſi ab Illuſtriſs. Patriæ Principe, Joh. Friderico, legati, clariſs. vir, Joh. Satlerus à ſecretioribus, & ingenioſiſſimus Henricus Schichardus Architectus, qui coràm tragicæ ſcenæ faciem contemplarentur, & accuratâ delineatione referrent: quin imò ad veſperas ipſe clementiſs. Princeps cum Princ. fratre, D. Achille advenit exiguo comitatu, & ſpectaculi ſupra famam miſeriâ intimè tactus, popelli ſui calamitatem & triſti cœnâ & pervigili nocte memorabili condolentiâ eſt proſecutus: neque diutius ibi commoratus ad ſequentis

diei

diei meridiem, poſt prolixam clementiæ conteſtationem & ſubſidij ferendi pollicitationem, lugenti ſimilis diſceſſit. Paulò pòſt Eccleſiâ iis, quorum ſarcinis repleta erat, reſeratâ, confuſionis alia ſcena edita eſt. Nam, formicarum inſtar ſive crabronum potiùs, palans populus aut nimio rerum ſuarum deſiderio, aut furum, qui frequentiſſimi ſimul ac impudentiſſimi, metu, eo clamore, jurgiis & ſtrepitu tam multiformia & infinita propè ædiũ inſtrumenta invaſerat, ut à ſeditione parùm abeſſe crederetur, & accuſationibus, pernegationibus, indeque injuriis omnia perſtreperent. Hanc rei deformitatem ut cohiberet Eccleſiæ Decanus, Melchior Bengelius, conſcenſo ſuggeſtu, gravibus verbis turbam turbidam & Chriſtiani officij, & modeſtiæ civilis eſt adhortatus, quæ tamen niſi diſtractis impedimentis (id quod dicto citiùs factum) cum nõnullorum diſpendio vix acquievit. Purgatâ ſacrâ æde, cùm Mercurij dies illuxiſſet, convocatis in concionem civibus, ego Eccleſiæ

Mini-

Minifter, fententiâ S. Davidis ex Pfalmo 115. 71. *Bono mihi fuit, me affligi, ut difcerem ftatuta tua*, recitatâ, gementem & trepidantem popellum docui, meminiffet illius ignis, quo nullo piorum damno univerfus orbis fit interiturus; illius, qui prophanis & obftinatis fit æviternùm accenfus: agnofceret fupremi judicis feveritatem, qui poft crebra verbi fui monita, nullis humanis obftaculis impeditus, excandefcentiam fuam exequeretur: negligeret terrenas opes, quæ tanto animæ periculo corporisque cruciatibus quæfitæ tam fubitò & truculento vultu mancipia fua deferent: amplecteretur auream pacem, & flagella Dei difcordibus & inquietis infligenda reformidaret: æftimaret Divinam providentiam, quæ in prægrandi periculo tam numerofam & confufam turbam illæfam fervarit: obfervaret proximum, cujus quondam indignè & fordidè habiti afflicto tempore tanta effet & neceffitas & ufus: calefaceret pectora ad S. Spiritus ignem, & foveret facris pabulis: denique

nique ſic adhiberet hoc ignis examen, ut nihil impatientiæ, blaſphemiæ, ſacrilegij; ſed humilitatem, tolerantiam, ferventiam eliciat, purgetque ab illis inquinamentis, quæ ſecuros alimentorum, indormientes paci, ſaturos verbo Divino, amatores ſui, familiares mundi ſolent comitari. Ita ad labores reditum, qui in tantis vaporibus noxij, in tanto calore periculoſi, in tantâ fuligine moleſti. Neque tamen his quatuor ac decem diebus, aliquot centenis quotidie operariis ignis extinctus, aut cõminutorum lapidum acervi ſunt egeſti. Cives, quibus domicilia abſumpta, inter amicos diſtributi, inſolitâ multi pauperie onerati jam benignam Dei & Chriſtianorum manum operiuntur, quam ſpondent cùm diſerta liberaliſſimi Creatoris verba, tum Chriſtianæ reipublicæ laudabilia exempla. Erit nempe, cùm renata quaſi Vaihinga alteros ſuos autores & conditores grato encomio decorabit, ſuæ quondam calamitatis memoriam poſteritati demandabit.

Et

Et hactenus quidem rem maximè funestam & diram recitaverimus: superest, Deum Philanthropum, cujus ira clementiâ temperata, cujus indignatio saluberrima est, humili & contrito pectore inter cineres nostros adoremus, ut quas paterni pectoris, non severi judicis castigationes nobis immisit, eas ad ardentiorem sacrorum cultum, temperatiorem rerum terrenarum usum, liberaliorem proximi communitatem, faciliorem mundi abnegationem, expeditioremque sacri itineris peregrinationem efficacissimè conferre velit; ac porrò Illustriss. nostro Principi eum animum servare, ut justitiam, concordiam, & obedientiam, trigam apud nos propè exulantem, restituere, illustrique liberalitate multorum pauperiem sublevare pergat: denique triste nostrum & notabile exemplum, infinitorum alibi pectoribus imprimere, ut non tam, quid Christianæ sit charitatis, inter opes & delicias suas; quàm quid humanæ instabilitatis, inter has casuum rotationes velint esse memores.

res. Quæ si mens Christianis persvaderi posset, minùs alij luxuriarentur, minùs esurirent alij, & terra hæc nostra omnium usui cõmodè sufficeret. Nos verò quid audiremus, qui ad Dei objurgationes, & naturæ solicitationes, & mortis minas, & inferni stridores, & corpusculi nostri trepidationem dudũ obsurduimus? Nos, inquã, qui stigmata iræ Dei inusta circumferimus, & ab excandescentiâ Divinâ etiamnum fumigamus? O Munde immunde, quàm perfrictæ & obstinatæ es frontis! quàm nullâ aquâ, nisi Diluvij; nullo igne, nisi qui Orbem finiet, potes corrigi! Feramus itaque te, Munde, ac increpemus, simul ad Christum nostrum anhelemus, ut is, deperdito rerum humanarum statu, nos nostraque cuncta sibi porrò curæ esse, clementissimè velit, Amen!

IN-

INCENDII VAIHINGENSIS

Posterioris

Ad 9. Octobris Anni 1618. graßati per 3. horas

brevis & ingenua recitatio.

DIonIsIVs pœnaM CIVItatIs repetIIt

Ornatiſſimo & integerrimo Viro,

D. JOH. JACOBO ENGELHARDO, INCLYTI ORDINIS Teutonici Oeconomo ſolertiſſimo.

Domino & compatri ſuo honorando

DVm hîc ſum, Ornatiſſime Vir, unius Tui converſatio & benignitas tædium omne, quod certè non defuit, ſuperavit, maximè cùm in Templi noſtri ornatu, qui tuis primùm impenſis, pòſt incitamentis potiſſimùm fiebat, occuparemur. Nunc poſtquam id funeſtâ calamitate deſolatum eſt, non poſſum alli hominum, quale fuerit, niſi cum laude & honore tuo recitare, qui notabili promptitu-

ptitudine mihi adfuisti. Neque dubito, quin si resurrexerit Dei domus, Tua liberalitas conspicua iterum, & apud posteros memorabilis sit futura. Interim pro illa tua publica pietate, in me privata & peculiari humanitate gratias ingentes ago, & affectum, quàm possum, amicum & conjunctissimum spondeo. Neque aliud iam addo, nisi me tui similes, ubi ubi terrarum ero, desideraturum multos, habiturum fortaße paucos. Deus tibi porrò adsit, ut ad optima quæq; obfirmeris, & honestæ amicitiæ fructus uberrimè poßideas. Vale, optime compater, & salve.

à T. H.

paratissimo,

Joh. Valent. Andreæ.

SPES

SPES erat, primo illo igne, quo Vaihinga, anno nondum abſoluto, magnâ parte, triſtiſſimo ſane ſpectaculo, vaſtata erat, ſimul etiam conflagraſſe contumaces in Deum ſpiritus, lites importunas, comm.ſſationes intempeſtivas, & perſimiles loci multis nominibus quondam nobilitati peſtes; rediiſſe pietatis zelum, legum obſervantiam, conjunctionum vincula, atq; omnino ſuperiorum integritatem, inferiorū obſequium revocata eſſe. Sed infra ſpem cuncta fuere, & infauſto documento probatum, nihil & periculoſius eſſe & infelicius diſſolutione. Nam dum alibi concordiâ res parvæ creſcunt; hîc jam à multis annis, ſerpentibus inter cives ſimultatibus & inteſtinis odiis, magnæ & ampliſſimæ dilabi cœpére. Scilicet ut paucorum libidini & ingluviei ſatisfiat; ut ſubinde alij aliis ſuccedant; ut munerum mulctra ſit perennis; ut vindiciis acerbis levia delicta expientur, omnis civitas & innocentiſſimus quisque

que turpiter circumagendus ſimul & ſpoliandus viſus eſt. Interim remiſit religionis fervor, politiæ ordo, charitatis exercitium, & diviſis in factiones civibus, id unum placere debuit huic, quod alteri diſpliceat. Hac rerum facie & præeſſe aliis & ſubeſſe, imò vel intereſſe tantùm, miſerum multis creditum; ſed tum demum acerbum apparuit, cùm Dei præſentem correptionem ſperni, & ingeminata flagella duriſſimos humeros nihil movere manifeſtum fuit. Jam reſurrexerat Vaihinga è cineribus quaſi, & è centum viginti plùs minùs ruderibus, quinquaginta circiter ædes erexerat, formâ & ſtructurâ ſpectabiles, unas etiam aut alteras ſuperbas magis & invidioſas, quàm convenientes. Contulerat in id communis patriæ pia liberalitas duodecim propè florenorum millia; ſed ſolenni mundi ſupputatione, ſubſidio in abundantes, quàm indigentes largiore: ut uno me verbo abſolvam, fuerunt, quibus damnum profuit; quantumvis octoginta ampliùs millibus clades civium

vium

rium æstimata sit. Primus omnium Michaël Hemmingerus, vir senatorius, horreum suum erexit, quem secutus Johannes Wildius Chirurgus ædes suas, quas incendium finiisse diximus, ante omnes inhabitavit. Inde alij atque alij emerserunt, sed maximè spectabilis Illustrissimi Nostri Principis structura, qua veterum Vaihingensium Comitum sedem in alios usus restauravit. Interea operariorum insolentiâ, sed & civium indulgentiâ omnia tripudiis, clamoribus, compotationibus, interdicto etiam tempore, denique frequentibus iurgiis perstrepebant, cedente, an conniventi Magistratu. Nempe cùm octingentas & quadraginta sex amphoras incendium absorpserit, nihil minus bibitum est, aut citiùs assurrectum. Ædes novæ multâ ebrietate initiabantur, vidisses & pueros bacchari, frustra ac cum invidiâ inclamantibus Ecclesiastis, qui dum malè ominantur, dum officij sui singulos admonent, dum bonorum querelas ingeminant, malè audiunt. Qui in ædes alienas debitâ com-

miſeratione recepti erant, jam iis violenter & ſuperbè imperitabant, effringebant, confringebant, additis in terrorem minis, ne quis mutiat. Nam qui primum injuriam ſuam deplorat, aut ſecretos illos iniquiſſimi juris meatus accuſat, jam perduellionis reus eſt. Hac igitur infelicitate hinc tumidos, illinc conculcatos Deus ſeverus & juſtus Vaihingenſes reviſit, Veneris die 9. Octob. horâ 2. & 3. pomeridianâ. Initium factum in Jacobi Semilleri Ruſtici ædibus, cui cauſam dediſſe viventem adhuc ſub cineribus favillam imprudenter abjectam ajunt. Inde concepto igne, cùm vetuſtiſſimam domum facilè corriperet, atque is & ſupernè & infernè perrumperet, tum demum maximè noxius fuit, cùm in ſubjectum ſtramen decideret. Itaque hîc domus, ibi horreum accenſa maximi periculi cives admonuére. Cujus tanta fuit celeritas, ut ædis fœmina ægerrimè per feneſtras ſemet cum liberis ejectis eripuerit, ita tamen, ut filiola una novennalis, Barbara, flammis ambuſta, biduo pòſt mor-

mortem non effugerit. Inde malo non tam utrinq; vicinos, Casparem Eckersteinum, & Philippum Steinbergium, invadente, quàm horrei flammâ contiguos parietes aliorum horreorum perforante, facilè apparuit, rem iterum desperatissimo loco esse. Ac ad dextram quidem Jacobi Bissingeri, viri Judicis, strenuitate intra Caspparis ædes impetus cohibitus est. Nec minùs à fronte, quam foro obvertebat, Curia exiguo vico distincta ingenti nisu servata. Sed à sinistris maxima infelicitas fuit. Hîc enim occupatis Sebastiani Sigskindi Pharmacopolæ, jam priore incendio graviter afflicti, ædibus, quamvis vico terminarentur, tamen & Christoferi Hechti, Jureconsulti & Illustris Dicasterij quondam Assessoris, & trans vicum J. Chiliani Hergeri viduæ domos apprehendit, quæ suæ quæque vicinitati damnum & interitum attulere. Hechti enim, Johannis Ulrici Bengelij, qui Piscationibus Principis præest; Hergeri verò longiore serie Agathæ decrepiti senij feminæ, Matthiæ Hau-

gij, D. Johannis Georgij Hambergeri Urbis Physici; & Annæ, quæ Michaelis quondam Wisefauti, de re literariâ optimè meriti hominis, mater fuit, domicilia penitissimè prostravit, quo in loco, Deo miserante, ignis acquievit. Tergum etiam primi horrei maximè noxium fuit. Id enim ædibus intermixta horrea, tria numero, depopulavit; majori periculo, quàm damno. Nam præter Conradi Schroppij patentissimam, & Johannis Adami Hammi domos, reliquæ ad usum potiùs, quàm decorem stabant. Supellectilium tamen non levis jactura dolorem auxit, quæ indigentibus durissima esse solet. Redeo ad Hechti & Bengelij unitas ædes, quæ, cùm maximi pretij supellectilem secum abstulissent, tandem pervagante contiguum horreum, & proximam Andreæ Lauterhari multennalis olim æditui domum clade, irreparabile damnum urbi attulerunt. Nam cùm propè staret Templum, augustissimæ structuræ opus, Deiparæ Virgini Majorum persuasione sacrum; turris alioquin

quin ſolido lapide erecta, ſed lignea pyramide faſtigiata, ignem concepit, & in reliquum omne ædificium ejecit. Cui malo quò minùs occurreretur, vitioſiſſimæ ſcalæ, per quas difficilimus & anguſtus dabatur aſcenſus, plurimum impedierunt. Sed id maximè detrimentoſum, quòd non niſi arctiſſimo foramine, eoque unico irrependum ſuperiori templi contabulationi neceſſe erat: quod quia ignis occupaverat, omne ſimul humanum auxilium excluſerat; docebatque heu ſeriùs! non fruſtra olim hunc errorem Architectorum fuiſſe notatum, &, ut emendaretur, Ædilibus ingeſtum. Itaque igne in templi penetralia intromiſſo, ac jam ſæviente, miro ajunt fragore ac venti impellentis murmure omnia horrendum in modum perſonaſſe. Quidquid enim ex ſubſelliis & ſcamnis tecto incidenti jungebatur, id ardentem quaſi clibanum efficiebat. Unde nec lapides quidem ardorem ſuſtinebant; ſed in calcem, ſciſſuras & fra-

gmenta violentiâ flammæ convertebantur. Lubet hîc templi nostri sanè aspectabilis figuram rudi circino delineare. Quadrangulum id fuit, longum pedes 120, latum 78, altum mediâ areâ, qua maximè assurgebat, 70. p. Nam alis suis utrinque additis 36. pedum tantùm altitudinem attingebat. Accesserant ad utrumque latus 6. concameratæ cellulæ, parùm minoris elevationis. Omnis structura 10. robustissimis columnis in 12. partes propemodum æquales dividebatur: illas nunc ignis propemodum exedit. Etsi enim secto lapide & quadrato omnis moles fabrefacta esset, non tamen Vulcani diritatem sustinuit. Successit hoc amplissimum fanum, sacelli in locum anno 1513. secundo Augusti, sumptibus ut aliis, ita *Grempiorum* antiquissimâ apud nos progenie oriundorum memorabilibus, *Henrici* inprimis anno 1533. 7. Decembris piè defuncti, & epitaprio ob id Latino atque Germanico laudati, quem imitati *Dionysius* 1534.

11. Ia-

11. Januarij, *Conradus* 1531. 15. Maij, & *Onophrius* 1554. ad Deum redeuntes, laudabilem memoriam reliquerunt. Sed & *Bulios*, *Langios*, *Machtolfos*, aliosque beneficos fuisse accepimus: utinam non exarescente liberalitatis propagine! Præter illos parùm hic memoriæ mandatum est, nisi *Ioannis Alßmanni* 1473. *Iohannis Vlfeshemeri* 1440. defunctorum, & *Confraternitatum* monumenta. Unus *Christoferus à Wolframsdorff*, superior quondam urbis Præfectus, vir sago pariter & togâ clarissimus, gratitudinis testem tabulam meruerat. Supererat tamen maximæ vetustatis lapis *Vaihingensi Comiti*, *Henrico*, inversis pro more insignibus & cruce impositâ, erectus quem, quia ignis omnino corrosit, huc huc suâ inscriptione restituamus.

A. D. MCCCC. KAL. OCTOBRIS IN FESTO MATHEI APLI. O. HAINRIC. COMES IN VAINGEN RECTOR HUIUS ECCLESIÆ.

Alia perpauca, ſcilicet *Chriſtoferi à Vemmingen* binæ conjuges, Magdalena de Erenberg anno 1540. 3. Junij, & Eliſabetha de Caltental 1545. 16. Martij, tum *Anna Geilingin de Althum* Helmſtadio nupta, 1578. 27. Januar. & *Reinh. de Helmſtat* juvenis 1568. 9. Julij vitâ functi memoria, ignis perpeſſa rabiem, vix apparet. Cæterùm quidquid ad ornatiſſimum templum facere poterat, neutiquam huic deerat. Nam & ſumptuoſiſſimo organo recentiſſimè ornatum, & ſacris picturis undique decoratum, inſuperque artificioſo Horologio inſtructum tum publicis, tum privatis magis impenſis erat, quàm elegantiſſimè. Nam cùm *Ioh. Iacobus Engelhardus*, & *Ioh.*

Con-

Conradus Aihinus soceri & patris sui *Iohannis Aihini*, post 37. annorum rationes aliquot Principibus bene subdu-ctas, anno 1614. 10. Julij ad Deum reversi grato animo sui posteritatem recordari vellent, Ecclesiam ingeniosâ Conradi Rotemburgij Pictoris manu ornatam voluerunt, quos imitatæ Anna Maria *Thillia Aihini* illius, Anna *Wildia Iohannis Epplini*, Anna *Reutcnechtia Iacobi Wildij*, Maria *Zieglera Georgij Kellini*, Margarita *Schmidia*, *Christoferi Machtolfi*, omnes viduæ, ac præterea *Melchior Bengelius Decanus*, *Iohannes Bulius Consul*, & *Sebastianus Sieskindius Pharmacopœus*, suo singuli loco parietes illustrabant, pluresque certatim sumptus offerebant, nisi prior calamitas pictores deterruisset. Sic autem distributa erat pictura, ut in summo tabulato, quod fornicis loco erat, creatio rerum omnium prostaret, ad frontem templi perditio per Adamum, ad latera Restitutio per Christi passionem duodecim tabulis expressam, ad

tergum Dijudicatio per eundem in nubibus redeuntem. His supereminebant XII. Apostoli, voluntatis Divinæ & Fidei nostræ Interpretes, unà cum Joh. Baptistâ, Christi præcursore, & Paulo, Doctore gentium. Substernebantur virtutum Christianarum imagines, Fides, Spes, Charitas, Temperantia, Veritas, Innocentia, Sedulitas, Gratitudo, Silentium, Liberalitas, Prudentia, Labor, Castitas, Humilitas, Iustitia, Fortitudo, Patientia, Constantia; quibus omnibus eminebant Verbum, & Sacramenta, Precibus & Afflictione concomitata. Alæ duæ sive minores areæ sex Mundi revoluti millenarios exprimebant, hac distributione, ut hinc Ecclesiæ simplicis, dissolutæ & ligatæ; illinc Imperij mundani, Christiani & Antichristiani faciem ob oculos ponerent. Ac altera quidem, suâ ovali figurâ primâ Ecclesiam à Patriarchis institutam monstrabat, & Caini protervitate exagitatam: Secunda Diluvij pœnam: Tertia Sacrificiorum sive Ta-

ve Tabernaculi institutum: quibus in proximis cellis tres quaternarij respondebant: 1. Adami nempe cultura terræ, 2. Caini fratricidium, 3. Caini nova respublica, 4. Nominis Domini concio: 5. Turris Babyloniæ temeritas, 6. Fœdus cum Abrahamo, 7. Sodomæ conflagratio, 8. Hagaris expulsio, 9. Transitus per mare rubrum, 10. Mannæ cibus, 11. Hierichuntis ruina, & 12. Templi Salomonis structura: omnia versibus & rhythmis ad Novi Testamenti harmoniam adducta. Altera verò primum Danielis Colossum, quatuor Monarchiarum typum, dein Christi in terris vitam, denique Antichristi & Mahometis furores Lutheri exortu mitigatos repræsentabat. Quibus sociebantur 1. Daniel inter Leones, 2. Serubabelis restauratio, 3. Maccabæorum robur, 4. Herodis toparchia, 5. Christi cum Pharisæis lucta, 6. Ejus varia manus Medica, 7. Ejusdem Crucis sequela, 8. ac Spiritus Sacri distributio, 9. Turcæ trucu-

lentia, 10. Papæ contumacia, 11. Hæreſeon Venenum, 12. Iubilæi gaudiũ. Utrisque his præerant Legis per Moyſen, & Gratiæ per Mariæ Filium Miniſtri, additis quatuor majoribus Prophetis, Iuſtitiæ & Miſericordiæ Divinæ Præconibus. Nam Evangeliſtæ Sacrarium occupaverant, quo etiam Iſaaci Immolationem, & Goliæ proſtrationem Pictor repoſuerat. Sed & totius ſacræ paginæ viri feminæque celebriores debitis ſuis elogiis imitationem provocabant. Ianua una Apoſtolorum Diviſioni deſtinata erat, & ad limina locatæ hinc Simplicitas, Hæreſeon; illinc ſuſtinentia, tyrannidis victores: aliis portis ſpatij nihil ſuperfuit. Hæc affecta & magnâ parte perfecta, laudabili civium promptitudine templum formoſiſſimum reddebant, ac cum pauciſſimis circa nos conferendum. Sed nihil tam Deo placet, quàm animæ devotæ cultus, & fidei ornatus, quæ S. Trinitati habitationem acceptiſſimam efficiunt. Abhorruit igitur à noſtris

cona-

conatibus, dedignatusque est Organi melos, quicquid Christum externo sono resonaret; abjecitque colores nostros, quicquid Christum externa pictura referret. Sonabat enim illud Divinas laudes, sed affectu planè prophano, juventutisque corruptelâ præsentissimâ. Habebat etiam Christi & nascentis, & à Magis donati, & in Cœlum euntis, ac denuo redeuntis picturas, Davidis insuper Cytharam, & Cantorum ipsius concentus; sed spiritu minùs in Christum propenso. Quicquid jam laudamus, videmus Deo displicuisse: cùm animo deformes, lapidum lignorumque picturâ; animo sordidi, templi culturâ; pietate egentes, pompâ ventosâ, & penicilli luxurie Deum capi, imò veriùs decipi posse in animum duximus. Placent quidem omnino Deo nostro Sanctuarij sui ornamenta: quo nomine nec animos addidisse amicis pœnitet, nec illaudatos abire, qui sua huc contulerunt, vel medio luctu nostro patiar. Nec enim periit, quod

candidâ mente datum ad se Deus vocavit, & memoriali sempiterno inscripsit. Id tamen discamus, Deo nosmet ipsos vacuare, purgare, & Christianismi verioris ornamenta intromittere, quibus exculti facilè omnem terræ nitorem, fucum & illinimenta aspernabimur. At ut ad tragœdiam nostrá revertar, triplex malum oppido ab unius templi deplorato incendio imminebat. Nam qua parte Orientem respicit, ubi Adytum sive, ut vocant, Chorus sumptuum opinor defectu, aut mutatæ Religionis turbis imperfectus mansit, inclyti *Ordinis Teutonici* ædes, non nisi paucis pedibus distantes, laborare cœperunt. Id gravissimum periculum jam à me nominatus Ioh. Iac. *Engelhardus*, Ordinis Oeconomus, devicit tam suo, quàm universæ propinquitatis commodo. Altero Septentrionali latere Pædagogium Latinum cum proximis & irruentibus flammis dimicavit, strenuo bellatore *M. Wilhelmo Cuppelio*, literariæ juventuti præfecto.

Ter-

Tertius conflictus, sed longè gravissimus ex Parochialibus ædibus, meo tum domicilio, fuit, quas non tam templi minæ, quàm vicini *Ioh. Gœppingeri*, viri Senatorij, conflagrantes ædes, adversante simul vento, offendebant. Aberam tum ego, amicorum invisioni, maxime verò exoptatissimo meo *M. VVilhelmo Schickardo*, diem unum & alterum tribuens. Uxor puerpera & accedentibus aliis morbis afflictior ignem priùs vidit, quàm adesse audivit, ac vix vestem nocturnam circumvolvit, cùm fugiendi tempus fuit. Convasavit tamen reculas aliquas, & periculo, quod præsentissimum erat, eripuit. Hanc sortem cum quatuor aliis puerperis tulit, quibus à partu paucissimis diebus respirare licuit. In arce illustri asylum iterum fuit, benignissimâ hospite *D. Elizabethâ à Laimingen*, Francisci-Ludovici Zornij Bulachiensis, Præfecti Majoris, conjuge; quò etiam delata Melchioris Bengelij Decani uxor, jam multis antè septimanis

nis lectulo gravissimè fixa. Itaque ut Bulachius maritus in mediam usque noctem ac ultra strenuè monendo, dirigendo, consulendoque; ita ipsa recipiendo, custodiendo, fovendoque omnes nobilissimæ pietatis numeros pro se quisque adimplevere. Interim res meæ non planè sunt desertæ, sed amicorum aliquot, inprimis M. Caspari Dirrii, Pædagogii nostri Collegæ, postea etiam M. Wolffgangi Môglingi Lamershæmensium Pastoris, ac Martini Rotackeri Scriniarij fidelitate, quantum tumultuariâ festinatione fieri potuit, dissolutæ, ejectæ & in propatulum deportatæ tractæque sunt; quas, quicquid tandem defalcatæ sint, miror ad me aliquo numero rediisse, tali furum, vel sacrilegorum potiùs, multitudine. Nec enim quisquam mihi scribenti facilè credet, eam esse Christianorum diritatem, ut proximos quosque suos, rebus afflictissimis & æstuante Dei irâ, spolient ac deprædentur. Dirrius postea laudabilem operam præstitit, cùm

Orga-

Organi Musici fistulas igni subtraxit. Idem alij in Horologio resolvendo fecerunt, ausu tam laudabili, quàm perutili. Quicquid liberandum fuit, moram non tulit. Nam trihorio, præter vastissimum templum, viginti tres domus & quinque horrea conciderunt, minore, quàm prius, & ædificiorum perditorum numero, & temporis duratione; sed prudentissimi cujusque æstimatione detrimento majori atque mali vehementiâ. Sic enim arbitrantur, qui rei adfuerunt, si quidem noctu erupisset malum, hominum multorum interitum præsentissimum fuisse futurum, quem die ac vestiti vix effugerunt: dein perditorum pauperiem pensitant, quæ nullam omnino respirationis spem admittat: denique supra omnia templi ingentis pretij structuram meritò censent, cujus vel quinque campanæ tantùm, ignis ardore non tam liquefactæ, quàm absumptæ, multis florenorum millibus non redimuntur. Finis hac quidem parte incendio

factus

factus in meis & vicinis ædibus, quos adeò ignis obvallaverat, ut nisi ex adverso perforatis parietibus aqua intromitti non potuerit. Alibi Francisci Ferberi domus solo hamis ferreis æquata, non citra diuturnum negotium miseriam terminavit. Ita & publicæ ædes, quos urbis scriba inhabitat, servatæ, maximo propinquorum momento. Hîc enim cohibendum erat malum, aut magnæ urbis parti immittendum. Unde majoribus animis incubuere, ut perdomarent sævum hostem. Ajunt, universum propè oppidum bonis & supellectile vacuatum fuisse, hominibus priore damno territis: id verò minùs consultè factum, cùm occupatis alibi & dispersis civibus vis ignis citiùs & latiùs invaluerit. Sed id, ut alia mala nostra, debemus ei, quam initio accusavi, dissolutioni, quâ & imperare & parere dedicimus: neque etiam rebus secundis apparet, quàm periculosè & lubricè vivamus, hominibus inexpertis subjecti, nisi cùm casus aliquis gra-

vior viros poſcit. Nempe objurgare, minari, dominari, præbibere etiam perfacile eſt: regere cum prudentia & fortitudine, non æquè planum. Multa unius virtus erigit: plurima unius vitium deſtruit. Nam cum Vaihingæ ad florem & optimum Reipub. ſtatum nihil deſit, una Erinnys optimos quosque ad optima enervavit. Hæc ſacri Verbi Miniſterium fecit abjectum, cùm in pinguiores nihil vel auſit vel poſſit: hæc primores fecit diſſolutos, cùm ventri magis, quàm Reipublicæ impendant: hæc cives fecit inſolentes, cùm cujusvis patrocinio imperium facilè abijciant: hæc ſingulos fecit diffidentes, cùm videant arcanis dolis potiùs, quàm maſculâ & apertâ diſſenſione rem geri. Aurea vox eſt, & meritò nobis repetenda: Concordiâ parvæ res creſcunt; diſcordiâ magnæ dilabuntur. Nocte imminente, multis vigiliis, multo etiam labore, ne reviviſceret malum, opus fuit, qui in diem usque continuati: quo dum rerum omnium ignarus

rus domum propero, Stutgardiæ quidem vir amplissimus, D. Erasmus Grüningerus, Ecclesiæ præpositus reverendus, rem non satis explicatam dissimulavit; sed paulò à porta ingeniosiss. meus Joh. Grezmejerus, Principis Architectus, testis oculatus infelicitatem aperuit. Unde cineribus & focis meis advolo, ac ædes quidem ambustas & laceras, familiam verò & reculas dispersas invenio. Multæ civium lacrimantium turmæ circundabant sive solatium petentes, sive dolorem dividentes. Libris meis, si quos habeo, ignis pepercit; at non item infidelis manus. In alios sævus fuit: nam & *D. Hechti* instructissima elegansque bibliotheca, & *D. Hambergeri* prænobiles libri, & *Balingeri*, quondam Weissachiensium Ecclesiastæ, literaria supellex, præter minores alias haud cõtemnendas, depasta sunt. Ego, ut primùm reliquias meas sum intuitus, didici, nimiùm possedisse. Minore certè vivimus expeditiùs; non quod animum

unquam

unquam occuparint; sed ne corpori etiam sub hac inutili mole sit laborandum. Quisquis Christum possidet, facilè rebus omnibus caret: quisquis se Christo dat, cum eos res omnes nostra nobilitate dignas facilè impetrat. Non ullus liber nobis auferatur, ut posthac minùs sapiendum sit: quin imò sine libris discemus discere. Et superesse tamen mihi Deus plurima voluit, ut molestâ custodiâ porrò fatiget, sive veriùs, ut præsentiû intuitu admonear, quàm facili momento in favillas omnia dispergi possint. Secuta hoc ignium Sabbathum dies Dominica scintillans & fumigans. Eâ cùm in exequiali Sacello D. Petro sacro lugentes, ac pro loci angustia compressi convenissemus, Decanus Ecclesiæ, occasione ex Evangelio Matth. 9. sumptâ, cives monuit, ne Gergesenorum turpi exemplo, Christum toties invisentem finibus omnino pellerent. Ea concio maximo luctu & ejulatibus veris, veluti publico funere, excepta est. Ego ejusdem textus

Para-

Paralyticum nostris morbis, quantum potui, aptavi, durior exinde habitus, & siccioribus oculis auditus. Solemus enim mala nostra deplorare, Dei contra nos caussam dissimulare, atque ferre ægerrimè. Templi rudera, ut revera lamentabilia sunt, omnes percellebant: cordis fragmenta & tot animarum ruinæ habebantur minimi. Certè, quem non sine honore nomino, Ecclesiæ Decanus multum sibi negotij fecit, ut hoc incendiorum interstitio cives etiam deperditos damni accepti admoneret, Amosi Prophetæ locum cap. 4. v. 4. 5. 6. adaptans & aliquot concionibus explicans. Sed parum proficere & ipse est conquestus, & alij jactitarunt. Quid igitur dicamus, *Mundus incorrigibilis est*: Nam quocunque eum vertas, Echini in modum aculeatus est. Verùm, ut ingenuè fatear, paucorum culpa plurimos involvit; & infamia omnium est, quod aliquorum delictum. Nam cùm optimos cives quàm multos Vaihinga habeat, pessimi nonnulli famam

famam omnem, ordinem, religionemque auferunt, atque ex iis tales, quos ſequi vel fas eſt, vel utile, vel neceſſe. Unde non tam aliorum de confuſione noſtrâ fabulatio, quàm noſtra etiam ac frequentiſſima quiritatio eſt, nos ut nosmet torquemus, ita nosmet deploramus, & nequicquam conſulimus Medicos, quos videmus non pacem noſtram velle, ſed argentum. Sequentibus diebus, quos etiam vindemiarum collectio occupavit, refrigerandis ruderibus dati ſunt, & ex turri collectum æs, quod minimo pondere è campanis ſuperfuit. X X. verò Octobris Illuſtriſſimus Patriæ Princeps, Ioh. Fridericus, &c. cum celſiſſimis fratribus, Julio Friderico & Magno, ac generoſiſſimo illo Heroë, Cratone, Hohenlojo Comite, templi ruinas vidit, vidit inquam & ingemuit, ac reſtaurandi excelſum liberalemque animum concepit, eiusque initium per Henricum Schickhardum, celebrem Architectũ ſuum, dedit. Hinc 26. Octobris areâ purga-

purgatâ,& egeſtis publico labore lapidibus, unis columnis & arcubus maximè vitiatum apparuit: ſed & turris, qua in deambulacrum deſinit, diffiſſa & corrupta hiat. Et hæc altera quidem Vaihingæ plaga fuit, cùm illi nimiùm cultus DIonIsIVs pœnaM CIVItatIs repetIIt: utraque certè iræ Divinæ pleniſſima, damnoque haud exiguis annis reparabili noxia. Acciſæ enim ſunt res non tam privatæ, quàm publicæ, ut quæ maximè: ac utinam vel maximis impenſis id impetraverimus, ut regamur poſthac prudenter, ſerviamus liberaliter, vivamus convenienter! Quæ fabulæ de nobis apud alios ſparſæ ſunt, non opus eſt hîc refellantur: id ſolitum hominibus nugari & perſuaderi, fallere & falli. Quid porrò de nobis futurum ſit, Deus clementiſſimus viderit, qui nec deeſſe ſuis poteſt, nec vult adeſſe impiis. Singultit afflictorum pauperies, increpat opulentum avaritia; ne inopes juves, mendaciis opus eſt. Ego miſerorum miſerrimam ſortem optimo cuique Chriſtianorum enixè com-

commendo, & vadimoniũ apud Deum polliceor. Quicquid opponas nobis, memineris ovem cum leone nũquam æqualiter ſortem dividere: acceperint aliqui indigni tuam ſtipem, plures digniſſimi non ſine lacrymis, & pro te precibus ſuſceperunt: ſin omnes indignos dicas, noli obſecro plumbeas facere eleemoſynas; luxum in alia tuum, plumeum. Si Deo exprobres munuſculum unicum, ille tibi centenos luſus exprobrabit. Sic ſumus, ut, quia ægrè bonum aliquod agimus, ſemper id jactitemus, mala quia conſueta præterfluunt. Egimus nos è ſuggeſtu ſolennes Deo, illuſtriſſimo Principi, & optimo cuique gratias, ac præivimus, aliquot mille fauſta quæque precantes: luxus & petulantia nunquam nobis placuerunt, ſed deeſt, qui coherceat. Ubi licet, quod libet, facilè libet, quod non licet. Deus nos regat, ut quam minimo ipſi acquieſcamus, ac cum aliis dividamus noſtra liberaliter: illud ſecuriores nos mundi reddet; hoc minùs

invidendos. Scilicet vel corpus trahere nimium eſt, & veriori opulentiæ adverſum, ſed hoc Deus ipſe onus impoſuit, ac cum eo certas neceſſitates nemini mutandas: nos verò quàm libenter alia atque alia pondera imponimus, donec referciamus ædes, mille millenis poſtea periculis & incommodis expoſitas. Cùm omnia ſervaverimus, & ad ſeros poſteros trãsmiſerimus, ignis ultimus omnia devorabit. Hæc Dei ſchola eſto, edoceri, non tantùm carere multis, ſed patienter neceſſaria etiam noſtra Deo reddere: ita tamen ne neſciamus inter pœnas Dei eſſe atque flagella, invitis bona terrena eripere, tollit tum iratus, quæ dedit propitius, at in ſuis planè admirabilem eſſe, quos indigentia beet, & terram ideo ſubtrahat, ut capaces faciat cœli. Cedant priùs ima, ut ſuccedant ſumma, ac elementari igne vacuetur locus ſuperelementarem ſuſcepturus. Quid lapideum templum lugemus, & nõ potiùs lapideum cor in carneum Dei adytum mutari implo-

imploramus? Si Deus nobiscum erit, ſedes ei non deerit; ſed nec deerit, unde domum ei reſtauremus, ſacremus, atque ornemus. Quid aram requirimus, cùm illoti convivæ acceſſerimus? Quid areas ædium collapſarum purgamus, & ædificium ſpiritus variis inquinamentis cum ſacri Rectoris exilio opplemus? Quid ſupellectilem deſideramus, cùm membra noſtra Deo inepta & ingrata, imò & repugnantia organa ſint? Quid veſtes requirimus alias, cùm nuptiali illa ſacra careamus? Quid nummos expetimus, cùm veram illam ſufficientiam dedignemur? Quid vina noſtra repetimus, cùm cœli ambroſia nobis non ſapiat? Minimum eſt Deo, nos ditare; maximum convertere; facilimum, è cineribus erigere; difficilimum, illam Adami inſolentiam deprimere. Tortiſumus, nec unquam nos Deus hac quidem in terra plenè corrigit, cùm panes ille offerat, nos lapides malumus; piſces ille, nos ſcorpiones. De me hoc profiteor, dilexiſſe equi-

dem decorem Domus Dei, eumque laboribus multis gratiâ solitâ impetrasse; nunc lugere desolationem, ac pristinum nitorem ex animo vovere & fovere; sed prætulisse semper viva Dei tabernacula, &, ut quàm plurima mundi quondam idolis depicta dealbarem ac à prophanis repurgarem sacrificiis, id potissimùm esse annisum. Nam si sufficit, elegantissimis structuris Deum colere, nemo Antichristo religiosior. Nolo autem affectatas Calvas sordes, & solutam hominum in sacra liberalitatem. Valde grata dixit atque placentia, qui homines ab omnibus in Christum expensis fecit immunes. Non ausim autem recitare, quas viderim in stipe Christo danda nequitias. Opulentissimi, ac maximè prodigi, improbæ monetæ obulo Christum ditant. Non opus habet ille tuis nummis, imò indignus tu es, qui des; sed tamen quid non apud te ipsum, si frontem habes, erubescis? Laboramus certè inexcusabili dissolutione, quam introduxerunt quicunque

cunque Religionem Politiæ, animam corpori, conſcientiam legibus poſtpoſuerunt. Sinceriſſimam Confeſſionem irregulariſſimis moribus maculamus, & ſuperiores religione, vitâ ſumus omnium infimi. De quo quid ſentiat Deus, clariùs ipſe de ſe ſonat, quàm ut nobis diſquirendum ſit: metuendumque eſt, ubi maxima fidei jactantia, Chriſtum fidei minimum illâ ſuâ die reperturum. Nec eſt, ut expectemus, dum quisque ſe ad optimam normam ipſe componat: non fert terra noſtra ſive caro hoc liberalitatis & ingenuitatis: Legibus ſervilem in modum cohercendi ſumus, ne impune ac nemine mutiente peccent maximi, majores, æquales, minores, minimi. Hîc quisquis divina ſtatuta accommodat, optimè meret, non ut Antichriſtus, qui terrea & carnalia excogitavit. Non tollit ſanè Evangelium Politiam, ſed ſecum fert ſuam, eamque optimam: nunc utinam non tolleret Politia Evangelium! Nos Chriſtianiſmum definimus, quem fer-

re poſſimus, ille nos poſſit: at ego vereor alium apud Chriſtum eſſe, qui pleroſque excludat. Id unicum nos prodat, quòd in Deum Blaſphemia minimo, in homuncionem injuria maximo æſtimatur: quis credat, nobis per Chriſtum licere, quod tamen licere publico aſſenſu videmus: neque ſanè aliam excuſationem reperio, quàm Perſarum illud in Regis ſui inceſſu, accommodemus, nullam ſcilicet talem legem reperiri in Evangelio; ſed aliam apud nos eſſe, qua licet, quod videatur. At me, neſcio quò, calamus abripit, calens opinor, vel tot favillarum propinquitate, vel contra Reipublicæ incendiarios juſtâ indignatione: DEUM potiùs, DEUM noſtrum, ignem edacem, fumum naribus exhalantem, ardentem ignem faucibus ejaculantem, & carbonibus exardeſcentem: Chriſtum potiùs, Chriſtum noſtrum, inter candelabrorum ignes, oculis flammeis, pedibus tanquam in fornace ignitis ambulantem: Spiritum Sacrum potiùs,

Spiritum Noſtrum, quaſi ignis linguis inter fideles ſeſe diffundentem, toto animo adoremus, ut quas nobis ineffabili clementiâ Divinitatis igniculos communicavit, eos afflare porrò, fovere, ac in totius Chriſtianæ compagis calorem adaugere, benigniſſimè velit: res verò terrenas, & quæcunque probationis fornacem non ſuſtinent, ita circa nos comburere, ac in calcem pulveremque reſolvere, ut animæ noſtræ, nobiliori utique parti, nihil omnino decedere, ſed ſimplicitatem & perfectionem adaugeri, corpus verò inutilibus ſcoriis liberari, liquidò intueamur. Illis verò, quibus omnino nutrienda caro videtur, ſic victum & amictum, ſic tectum atque ſtratum precemur & ſuppeditemus, ut, quod reliquum eſt vitæ, lubricitatis humanæ jam ſemel atque iterum admonitos, victuros ſperemus, ſi non ad Chriſti regulam, perfectius, certè naturæ leges rationabiliùs. Faveant boni: & in DEO omnes valeamus!

In geminum Vahingæ Incendium.

NVnc geminos ignes & lamentabile damnum
Debuit Ultori nostra VAHINGA *Deo:*
Non totam tamen absumpsit furor igneus urbem:
In medio clemens verbere virga fuit.
Scilicet ardorē cœlestis supprimit ardor:
Et JOVÆ *in mediis ignibus ignis adest.*
Iam tu dic Hospes, rursum surgente VAHINGA,
Gratia sitne Dei major, an ira Dei?

Ioh. Martinus Rauscherus, Humaniorum literarum in Academia Tubing. Professor.

FINIS.